
BIBLIOTECA NAZ.
XXVI*
A
55
NAPOLI

2.78

116
B
98



Inter libros
Josephi Mariæ Parascandolo
Antecessoris Regii
A. L. N.

116
B
98

Heren Maximiliaen van Bossing

4

HENR. STEPHANI

Orationes II.

I. Aduerſus lib. VBERTI FOLIETÆ De magnitudine & perpetua in bellis felicitate imperii Turcici.

II. Ad expeditionem in Turcas fortiter & conſtanter perſequendam exhortatoria.

Quæ AVGVSTISS. CÆSARI & vniuerſis Rom.imp.ordinibus, Ratisbonæ conuentũ habentibus, ab eodem oblatæ, & illis acceptiſſimæ fuerunt.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

FRANCFORDII,
TYPIS WECHELIANIS.
M. D. LXXXXIIII.

con due carte piegate

1.

literariæ potius quam nundinariæ,

AD AVGVSTISS. CÆS. RODOLPHVM II, ET REVERENDISS. AC Illuſtriſs. electores, cæteróſq; princ. & ordines ſacri Rom. imperii, Ratiſbonæ conuentum habentes,

ORATIO HENR. STEPHANI, PARISIENSIS,

ADVERSVS LVCVBRATIONEM VBERTI FOLIETÆ Genuenſis: qua magnitudo imperij Turcici, & virtus ac felicitas Turcarum in bellis ſupramodum extollitur.

VLTIMVS librorum, qui vltimo die Francfordienſium nundinarũ ad manus & oculos meos venerunt (veniſſe autem multos, tum eo die, tum aliquot præcedentibus, neceſſe eſt, homini cui nundinæ Francfordienſes ſolent eſſe literariæ potius quàm nundinariæ)

fuit lucubratiuncula quædam Vberti Folietę, Genuenſis: cui titulũ tam imperio Turcico honorificum quàm cęteris imperiis, præſertímq; Chriſtianis, inuidioſum, dedit, DE CAVSIS MAGNITVDINIS IMPERII TVRCICI, ET VIRTVTIS AC FELICITATIS TVRCARVM IN BELLIS PERPETVÆ. Eo autem ipſo tempore, & quidem eo ipſo temporis momento, quo hic quoq; liber ad manus & oculos meos venit, contigit vt hoc pariter in mentem mihi veniret, multo ſatius futurum fuiſſe vt is ſe Italiæ ſuæ finibus contineret, quàm vt inde in Germaniã, ab homine Germano (ſed nihil mali cogitãte) accerſitus, tranſiret. Eius enim aduentum, inauſpicatum (quod tamen ſine omine dictum ſit) eſſe: ac ſaltem intempeſtiuam fore eius lectionem, & à conſilio alienam, quod iam ſumptum confirmaturi nunc, & plenè exſequuturi (nam aliqua iam ex parte exſequi, idq; feliciter, cœpiſtis) ſperamini. Eo enim in libro leguntur quæ

tantum abeſt vt pleroſq;, qui pars exercitus aduerſus hanc nomini Chriſtiano tam infenſam infeſtámq; gentem eſſe alioqui vellent, ad hoc magis animent, vt contrà periculum ſit ne non terreantur ſolùm ad eorum auditum, ſed vel exanimentur: & quidẽ ita vt ſimul ab incœpto prorſus deterreantur. Facto igitur opus eſſe cogitaui vt, quemadmodũ quum quis cibo potúve aliquo morbifero, præſertímque quum mortifero quopiam vſus eſt (quales ſunt quibus malæ menti male morigera manus aliquid veneni admiſcuit) antipharmaci ope illi cauetur: eodem aliquis modo nõnullis eius libri lectoribus ita prouideret, vt, quicquid terroris ille pectorib. eorum incuſſiſſet, id ſuo ad illum reſponſo excuteret. Ac ne hoc quidem contentus eſſet, verùm, terrore in bonam ſpem mutato, faceret vt, ſiquos ille ab ea expeditione iam itineri accinctos auocaſſet, hæc reuocaret: ac, ſiqui eſſent quibus ille profectionem hanc diſſuaſiſſet, hæc contrà ſuade-

ret. Vix enim fieri poteſt quin vel ipſe titulus, adeo grandia nobis & magnifica de Turcis ſonans, atque virtutem illis tantam arrogans, vt comitem huic, perpetuam in bellis felicitatem adiungat, ſententiæ (coniecturali ſaltem) de exitu huius aduerſus Turcas belli ferendę præiudiciũ afferat: & quin pleriſque, quos alioqui acies illa alacres atque acres habere bellatores potuiſſet, animos ſi non frangat omnino, at certè multũ debilitet. Præſertim verò, quum apud me conſiderarem, hunc Vbertum Folietam, cuius iſte libellus, velut obnũtiator quidam, nunc primùm in Germania editus foret, magni apud ſuos nominis, nec parui apud quoſdam alios eſſe, minimè dubitabam quin facilè declamatio eius fidem apud pleroſque eſſet impetratura: eóque magis reipubl. Chriſtianæ, hac potiſſimũ tempeſtate, intereſſe exiſtimabam, vt primo quoque tempore aliquis illi ita declamanti occlamaret.

Audiuiſtis vt ex lucubrationis il-

lius lectione mihi ſtatim venerit in mentem, ei quod ab illa impendere Germaniæ malo præuiderē, eſſe prouidendum. Sed quum nullus oculis meis prouiſor huiuſmodi ſe offerret, quamuis eos omnem in partem circumferrem: & periculum tamen eſſe in mora perſpicerem (quod omnes mecum cernere vos dixiſſetis) nō minus quā ab ea impendet ægrotis, cum quibus quoſdam è lectoribus illius lucubrationis comparaui: hoc ipſemet officio fungi, pro eo quo Germaniam proſequor amore, conandū eſſe exiſtimaui. Veſtrum erit, ſi quidem non omnino irritus (quod ſpero) conatus meus fuerit, hinc quoq; boni aliquid præſagire, quòd a me oratio iſta profecta ſit: quum ab homine Germano, aut ſaltem à quouis alio potius quàm à me exſpectāda videri potuiſſet, homine Gallo, & quidē à Francfordienſium nundinarum ſtrepitu (quamuis literarias potius quā nundinarias mihi eſſe eas dixerim) nondū ſatis quietas aures habente. Hinc, inquam, cur

aliquid boni præſagiatis, eſſe puto: atque itidem a Deo opt. maximo auxilia ad bellum in Turcas illinc etiam ſperetis vnde minimè exſpectāda eſſe cenſeretis.

Sed enim aggredi Vbertum Folietam volenti alia hoc ex parte occurrebat, futurum vt multi mihi reclamarent, ſi magnitudinē imperii Turcici in dubium vocare, & inde irruentiū hoſtium contemptum præ me ferre vellem. Quamobrem, vt huic periculo obuiam irem, præmonendos vos cenſui, me de imperii Turcici magnitudine minimè dubitare, ac minus etiam adducere eam in dubitationem velle: ſed tamen Vberto Folietæ, eam non ſuis tantùm ſed adſcititiis coloribus ita depingēti, vt inſuperabilis videri poſſit, planè aduerſari. Ad illum autem tantorū hoſtium cōtemptum quod attinet, (magnos enim eſſe hoſtes fateor, etiamſi tantos eſſe negem quantos Folieta nobis eos deſcribit) ſi eum præ me ferrem, dementiam ſimul præ me ferre neceſſe foret. Quū

enim duo ſint hoſtium genera, ſicut puſillanimitatis accuſandi ſunt qui quoſlibet metuunt (vt ille certe nimium meticuloſus & puſilli omnino animi erat, aut talem ſe eſſe fingebat, cuius ex ore iſta proficiſcebantur,

Nunc ad bella trahor: & iam quis forſitan hoſtis
Hæſura in noſtro tela gerit latere:)

ita, nullos metuere, ac ne eos quidem de quibus ea quæ memoraui audiuntur, quamuis talem præiudicii locum qualem dixi, prima fronte obtinētia, hominis eſſe videtur iudicio propemodum carentis. Neque verò, vt hoſtem, qualiſcunque ſit, timere, puſillanimitati & modo non ignauiæ, ita viciſſim, nullum timere, magnanimitati, ſed potius temeritati tribuitur.

Sed quid? (dicet quiſpiam) non vis quemlibet hoſtem timeri? Immo eſſe prudentis ſcio à quouis hoſte ſibi timere, ac eo quoque cuius vires exiguæ, ac penè nullę, ſint, aut etiam nullæ omnino, niſi per alium, eſſe poſſint. Sed tres potiſſimum eſſe modi

videntur hoſtem metuendi: & horum vno ſaltem metuere ſuũ hoſtem dici aliquis debet. Primus eſt, illum non audere aggredi, & tamen ab eo ſibi non cauere. Secundus, eum non audere aggredi, ſed boni conſulere, ac ſecum præclarè agi exiſtimare, ſi ille nos minimè aggrediatur: interim que ſibi ab eo cauere. Tertius, ab eo etiam cauere cuius vires noſtris ſunt omnibus partibus inferiores: & à quo aggrediendo, pudore potius quàm metu retinemur. Nam ad talem metum, ſiue timorẽ, quod attinet (quẽ, licet minorem, vocare fortaſſe poſſumus generalẽ) vel ea doctrina quam è quibuſdam vernaculis prouerbiis cum ipſo propemodum lacte hauſi, cum animo meo inſeuit. Sed horum prouerbiorum duo referre contentus ero. Vnu eſt, Nullũ eſſe paruum hoſtem (vel potius inimicum. nam vocabulum noſtrum non ad externas tantùm, ſed ad domeſticas quoque inimicitias pertinet) Alterum, eum qui ſibi timet, (ſeu ſibi metuit)

eſſe quodammodo extra periculum. Cuius dicti autorẽ eò reſpexiſſe conſtat, quòd is qui ſibi metuit, totas ad ſibi cauendum & propulſandum periculum vires intendit. Ac (quicunque adhibitã cautionem aut adhibitas cautiones ſequatur exitus) hic ſaltem ex eo metu fructus percipitur, quòd tela præuiſa (vt vnũ externum prouerbium vernaculis duobus ſubiungam) minus nocẽt. Et verò ſiquis inanem ſeu ſtultam ſpem cum inani ſeu ſtulto metu, aut non vanã quidem omnino ſpem, nullàque ratione nitentem, ſed nimiã, cum metu conferat de quo dici eadem poſsint: quotidiana experientia in hanc potius quàm in illam peccandum eſſe partem clàmat: multóque ſatius eſſe omnia tuta timere, quàm de iis omnino bene ſperare, de quibus cõtra timendum ſit, aut ſaltem ſubtimendum.

Verùm, vt ad hoſtem, quẽ propriè ita vocamus, reuertar: quàm ſtultum ſit, eum contemnere, ille quoque inter veteres hiſtoricos celeberrimus

Thucydides nos docet: qui pro illo Contemnere, ſuo Kataphronein vtitur. Quid tamen Thucydidis, vel alius cuiuſquam ſcriptoris autoritate hac in re opus eſt? quũ tot à tam multis damna ob nimiam nullóque metu permiſtam ſpem, ob plenã fiduciam, & plenæ huius fiduciæ filiam ſecuritatem, accepta eſſe audiamus, & accipi quotidie videamus? Quid damna dico? hoc, tanquam de priuatis tantùm loquentis eſt: ideóque clades dicere debui. Immo & ſic rei magnitudini impar vocabulũ fuiſſet. Strages vrbium, (ad ſuperiora ſecula quod attinet) quæ inter potẽtes primæ erant, memorare oportuit. Immo ne ſic quidẽ rei magnitudini orationẽ meã adæquaſſem. Regna, & multo etiam maiora vulgaribus regnis imperia, hinc peſſumdata, allegare debui: dũ inconſulta ſpes exſpectare auxilium iubet, quod tandem ficulnum exſpectatores illi experiũtur: aut quod aduenit ſero: aut certè quod nunquam aduenit. Sed pluribus verbis eam

quam dixi obiectionem minimè anteuertendam cenſeo.

Venio igitur ad noſtrum illum Vbertum Folietam: id eſt, ad examinandum illud Vberti Folietæ ſcriptũ: quod non metum tantummodo ſeu timorem Turcarum, ſed tantum terrorem multis incutere poteſt (nec dubito quin iam plurimis incuſſerit) vt ij qui potius animandi ad expeditionem aduerſus Turcas erant, vel ad auditum eius exanimentur.

Quoniam autem me, ad ea reſpondere volentem quæ de cauſis magnitudinis imperii Turcici déque virtute Turcarum ac felicitate in bellis perpetua ſcribit (etiamſi alicubi minus magnificè loquens, non perpetuos ſed tantummodo multorum annorum felices ſucceſſus illis tribuat) eundem tenere ordinem neceſſe eſt: ad ea quæ de religione, id eſt religionis conſeruatione, diſſerit, veniendũ primùm eſt: ſic tamen vt illis præfigantur ea (ſed contracta in multo pauciora verba) quæ ſibi occaſionem tra

ctandi hóc argumentum præbuiſſe profitetur. Is igitur in ipſo libri limine M. Antoniũ Columnam, ducem clariſſimum, compellans, qui in bello quod Cyprium vocatum eſt, Pontificiæ claſſis dux fuerat, & cum Ioanne Auſtrio, vel Auſtriaco, toti exercitui nauali imperauerat: ad eius literas reſpondet, quibus ſe magno dolore affectum ſcripſerat, ob pacem à Venetis cum Turca factam, póſt victoriam in eo bello ab illis & a fœderatis principibus partam: ac ſe Chriſtianorũ vicẽ pudere dixerat, quòd, poſtquam victoria illa potiti eſſent, qua, poſt exſtinctum Romanorum imperium, haud vlla maior aut memorabilior fuerit, ingens lætitia ex ea concepta, tam citò effluxiſſet, ac ſpes ad quam felicia initia piorum animos erexerant, tam breui euanuiſſet, tantorúmque conſiliorum apparatus ad nihilum recidiſſent. Deinde, poſtquam de Venetorum in pace illa facienda conſilio, vtrãque in partem, magis ex aliorum quam ex ſua

ſententia, diſſeruit, & in vtram ipſum Columnam propendere audierit, declarauit: (nimirum in eam qua dicti fuerunt illi, nimis celeri rerum deſperatione defeciſſe, ac ſeſe bello illorũ in primis cauſa ſuſcepto ſubtraxiſſe) ſuum illud argumentum aggreditur. *Sæpe igitur mecũ quæſiui* (inquit) *quæ cauſa tantæ imperii magnitudinis fuerit: quibúſque artibus Turcæ in tantas opes venerint, tantiq́ illorum ſint in bellicis rebus progreſſus.* Quibus ſubiungit, *Simul qua re fiat vt tot de noſtris hominibus ad illos continenter transfugiant, Chriſtianáq́ religione eiurata. Mahumetanæ ſectæ nomina dent: quũ contrà nulla aut perrara illorum ad nos fiant transfugia.* Verùm hæc poſteriora, quũ minus ad illam ei propoſitã quæſtionem pertineant, prętermitti poterãt: ſicut & alia nonnulla, quæ illis proximè adduntur. A me igitur prætéribũtur: vt hinc ſtatim ad ea trãſeã quibus dicit, tãtam Turcarum gloriam, tótque annorũ felices ſucceſſus, nemini in rem acutè intuenti miros videri poſſe. Neque enim aut inuſitatã

rem, aut cauſas eſſe obſcuras. Sed eas futuras planiores, ſi noſtri & illorum mores, inſtituta, conſilia, diſciplina, inter ſe cōferantur. A quibus ad hęc venit, *Principiō illud inter omnes conſtat, in cæteris cauſis quæ regna ac reſpublicas ad magnas opes magnámque potentiā extollant, atque imperium augeant, religionem primas obtinere.* Quamuis autem hanc laudem non certæ cuidam religioni, ſed cuilibet tribuat (ſi modò religio eſt quæcunque hoc nomine dicitur: vel potius, ſi præter Chriſtianam, vlla nomen hoc meretur) vnam tamen eſſe, paulo ante confeſſus erat (nimirum Chriſtianam) quæ ad ſempiternam beatitudinē cœleſtiáque regna iter patefaciat & communiat. Atque adeo & illis quæ modò ex eo dicta de quauis religione attuli, ſubiūgit quæ Chriſtianam ab aliis ſeparare poſſint dici. Religionis enim duplex eſſe munus ait: Vnum, præſtantiſſimum illud ac diuinum, cuius cauſa religio ipſa hominum mentibus diuinitus inſinuata eſt (& rationem reddit, quæ

etiam

etiam apertè oſtẽdit illũ de Chriſtiana loqui. hæc enim illis ſubnectit, *quòd ſeſe illa nobis ad cæleſtem & immortalẽ beatitudinem, vt dixi, vnam & certiſſimam ducem præbet. Quo dono nullũ à diuino numine ad homines maius peruenire poteſt*. &c. Alterum religionis munus eſſe, quod ad rempubl. gerendam populoſque in officio & legum obſeruatione cõtinendos pertinet. Ac omnium ſeculorum monumenta teſtari, ſapientes viros, quíque ciuitates condiderunt, eam ad rem religione vſos eſſe. Ea autem re non modò nihil de religionis maieſtate detrahi, ſed eam ſuſpiciendam magis reddi: quòd multiplex ſit eius vſus, ſeſeq; in humanas quoque res gerendas, & moderandas, ac ciuitates conſeruandas, vtilitate ſua fundat. Sed de priore illo munere nobiliſſimo nullum ſibi nunc fore ſermonem ait, quoniam ad inſtitutam à ſe diſputationem nihil pertinet. Nonnullis interiectis, quæ & ipſa multum ad Chriſtianæ religionis commendationem faciunt, ſcribit, *Quare venia-*

mus ad eam partem, quæ inſtitutæ quæſtionis propria eſt: in qua nihil hac quidem in parte refert vtrum vera an falſa ſit religio: (nam hoc, vt diximus, ad animarum ſalutem tantum valet) ſed omnia in eo poſita ſunt, vt religio, quæcunque tandem illa ſit, caſte & integre obſeruetur. Huius autẽ religionis in primis præſidio regna & populos ad ampliſsimas opes peruenire. &c. Sed (quod cũ Vberti venia ſit dictũ) ſicut antea perperam duplex munus religioni aſſignauerat, non de ſpecie, ſed de genere loquẽs: quum tamen vnum eorum ſit quod in Chriſtianam tantùm (quæ etiam nomen hoc ſola verè meretur) cadere poteſt: ita hîc non video quomodo defendi poſſit quod ſcribit, huius religionis in primis præſidio regna & populos ad ampliſſimas opes peruenire, atque ad altiſſimum dignitatis & potentiæ locum aſcẽdere. Quamuis enim *huius religionis* dicat, non tamen ad certam quãdam religionem reſpicit: quum hæc proxime præceſſerint, omnia in eo poſita eſſe, vt religio, quæcunque tandem illa ſit, caſte

& integrę obſeruetur. Vnde apparet, cũ, in illis quę proxime ſequuntur, ita loquentẽ, Huius religionis præſidio, hanc religionem dicere, ſignificare volentem hanc obſeruationem religionis. Alioqui hinc inferretur, non minus in falſa religione (vt antea loquutus erat, quũ diceret, nihil referre vtrum vera an falſa ſit religio, ad alterũ eius munus quod attinet) quàm in vera, regnis & populis eſſe præſidii. Sed ne hoc quidẽ ipſum, quòd Hanc religionem dicens, intelligit Hanc obſeruationem religionis, ſatis eum excuſare videtur. Etſi enim non me latet, dictum fuiſſe à veterum politicorum nõnullis, meliorem eſſe ciuitatis ſtatum & cõditionem, deterioribus quidem inſtitutis & legibus vtentis, verùm, quæ magna cum ſinceritate & integritate obſeruentur, quã eius quæ melioribus inſtitutis & legibus vtatur, ſed quibus obſeruatio talis non contingat: illud tamen haud eſt eiuſmodi, vt eximere mihi ſcrupulum poſſit. Nam etiamſi Chriſtia-

no quoque daretur de politicis inſtitutis ac de legibus eadem illa loqui, quomodo Chriſtianam religionem ita in ordinem redigere (ne quid grauius dicam) fas eſſet, vt religionis cuiuſlibet ritus pure & integre obſeruatos anteferre Chriſtianæ religionis ſanctionibus non ſatis integre obſeruatis, cuiquam Chriſtiano per Chriſtaniſmum liceret? Non vlterius ergo, mea quidem ſententia, ille Vberti ſermo progredi debebat, quã vt diceret, Turcis, quod ad religionem attinet, in eo ſaltem bene conſultũ eſſe, quòd, qualiſcunque ſit, caſte & integre obſeruetur, nulláque de ea diſſidia ac ne altercationes quidem oriantur.

Ac videri parerga poſſunt quæ de Romanis (cæteros ſe omittere dicẽs) ſcribit: eos, quum intelligerent, ad rempublicam amplificandam imperiúmque propagandum, maxima ac præcipua eſſe religionis momẽta, de nulla re tantopere laboraſſe, quàm de eius cultu tuendo, diuiníque numi-

nis metu & opinione populo inſinuanda. Poſſe autem parerga videri aio, quòd & ſatis nota ſint, & non magis pro Turcarum quàm pro aliorum quorumuis religione faciant. Optime alioqui cum iis quæ proxime dixerat conuenire haud negauerim, *Nam quum præcipua ſit augendi imperii, rei militaris ac bellicæ virtutis via: res porro militaris duabus in primis rebus contineatur, obediẽtia & diſciplina: vtriuſque rei fundamentum eſt religio.* Vbi tamen (vt de hoc obiter moneã) ſub diſciplina potuiſſe illum obedientiam comprehẽdere exiſtimo.

Sed quum ne hæc quidẽ pro Turcica religione magis quàm pro alia qualibet, facere dici poſſint: ſicut & nonnulla quibus illum de Romanis religionis diligentiſſimis cultoribus ſermonem perſequitur: iam veniã ad ea in quibus Turcas cum Chriſtianis, in religionis cultu, non dubitat committere. Eius enim verba (poſtquam ſuperiorem ſermonẽ ita clauſit, Neminem ſanum negaturũ, religionem

cum totius publicæ, tum in primis bellicæ rei firmiſſimum eſſe fundamentum) hæc ſunt, *Ab vtris porro ſanctius & caſtius, à Turcíſne an à nobis hæc ipſa religio colatur, malo in aliena exiſtimatione relinquere, quàm ipſe ſentẽtia mea ſtatuere.* Ac licet penes alios malle iudiciũ eſſe dixerit, ſuũ tamẽ aliqua ex parte interponit. Simulac enim illis ſubiunxit, ſe nõnulla tantũ perſequuturũ quæ ſibi venerint in mentem: quandam Chriſtianorum cum Turcis, vel potius Turcarũ cum Chriſtianis comparationem inſtituit, circa rem quæ in religione maximi ponderis atque momenti eſt. *Principio* (inquit) *quum illa religionis præcipuæ ſint partes, vt omnia ad diuinum numen referantur, eiúſque voluntate omnia humana regi & gubernari putemus: mirum eſt quantũ Turcæ ea in re nos antecellant, quámque hanc opinionem mentibus penitus inſitam habeant.* Atque adeo illos diuinæ prouidentiæ tantum tribuere dicit, vt ea in re nimii ſint: quippe qui omnia ad fati neceſſitatẽ reuocent, nullis humanis con-

ſiliis euitabilem. Sed adiicit his nonnulla, quæ Turcas perſuaſa habere dicit : perinde acſi peculiares Turcis perſuaſiones hæ eſſent : quum tamen illis cum aliis pleriſquè, non Chriſtianis tantùm, ſed aliis quoque, communes ſint. Turcas enim vnicuiq; terminum vitæ fato ſtatutũ putare ait, qui neque proferri, neque contrahi poſſit: proinde, quum præſtituta hora mortis venerit, eam omnino eſſe obeundam. Ac nihilo minus eſſe moriendum, quum illa præſtituta hora aduenerit, ſi in cubiculo tuo clauſus, procul ab omni diſcrimine, fueris, quàm ſi in medio pugnæ ardore inter mille in te vnum intẽta tela verſeris: at ſi hora illa non aduenerit, te ab eius telis iugulum tuũ petentibus nihilo minus quàm in cubiculo tutum fore. Verùm hanc ipſe opinionem, quæ de tanta fati neceſſitate eſt, improbandã eſſe cenſet: etiamſi ad id quod tractat argumentum habeat hoc boni, quòd Turcas in preliis ineundis ac diſcriminibus adeundis audacio-

res ac minime retractātes facit: mortis metu dempto, cuius periculum non à diſcriminibus ſed à fato pendere putent.

At ego, cur illa Turcarum opinio, quā de fati neceſſitate concipiūt, im probanda ſit, non perſpicio: quum alioqui fato quoſdam multa falsò adſcribere non negem. Ethnicos certe (vt de Chriſtianis taceam) ſibi ea de re aſſenſores habēt tum Græcos, tum Latinos Turcæ. Et vero locus ille quo cubiculi nominatim fit mentio, ſcriptores duos ſibi adſtipulantes habet, vnum, Græcum: alterum, Latinum: vnum, oratorem: alterum, poetam. Nam idem poſt Demoſthenem Propertius quoque dixit,

Ille licet ferro cautus ſe condat & ære,
Mors tamē incluſum protrahet inde caput.

Cæterùm proponit etiam aliquod obſtaculum ad acrem religionis cultum, quod Turcis minime ſit cū Chriſtianis commune. Vbi enim damnauit illam quam dixi Turcarū opinionem, ad fati neceſſitatem quod atti-

net: piam alioqui in primis ac veram eſſe opinionem ſcribit, Omnia humana in diuina moderatione verſari, omniáque à diuino numine pendere: eiúſque nos eſſe retinentiſſimos debere: ideóque omnes cauſas illam labefactare ſolitas, diligenter vitare. Deinde, tanquam cauſam proponēs quæ inter omnes præcipua ſit, addit, cauendum eſſe potiſſimū ne vllis philoſophorum diſputationibus contraria ſuadentiū ab illa abducamur: eorū præſertim quorum ſecta maxime viget: hoc eſt Peripateticorum. Eorum enim magnam partem de natura diuina ita diſputare, vt illam nulla rerū humanarū cura attingi contendant, neque vllam illarum procurationem habere, aut habere poſſe: quum ea, ſit res etiam ſordidiſſima, tantíque numinis maieſtate indigna. Omitto quę ad refellendam opinionem illam adijcit: (cui enim Chriſtiano aliquid ſtatim ad eius refutationem venire in mētem nō poteſt?) ac potius in ipſius quam in tam impiorū Peripatetico-

rum verba inquirens, eum aliter de illorum diſputationib. debuiſſe loqui dico: ac, non monere ne vllis eorum diſputationibus ab illa de diuino numine opinione abducamur, ſed vt ne aures quidẽ illis patefaciamus. Quinetiam in hoc de quo illos reprehendit, nimirum quòd diuinum numen vllam rerum humanarũ procurationem habere negent, videndum ne reprehenſione dignus ſit ipſemet. Nam & Chriſtianus, Chriſtianè ſimul & Latinè loqui volẽs, deum res humanas curare fatebitur: eas procurare, ſiue procurationem earum habere, optimo iure (meo quidem iudicio) negabit. Ac magis certè rationi conſentaneum fuerit, procurationem illarum, (eam numini tribuentẽ) rem ſordidã appellare, quàm id de cura earum dicere. Dubium tamen eſſe queat an procurationem cum cura Vbertus voluerit confundere. nam de illis Peripateticis verba faciens, *Quorũ*, inquit, *magna pars de diuina natura ita diſputãt, vt illam nulla humanarum rerum cura attingi*

contendant. ac illis iſta proximè addit, *neq; vllam illarum procuratione habere, aut verò habere poſſe: quæ etiam ſordidiſsima res ſit, tantiq; numinis maieſtate indigna*. Non dubito autem quin habeat hęc periodus quiddam quod veſtras aures offenſurum ſit: quoniam hinc ſequeretur, Chriſtianos deo ſuum quoddam munus & officium tribuere: ſi procurationem rerum humanarum illi adſcriberent. Sed me fideliter eam qua ipſe vſus ſit vocem exſcripſiſſe profiteor: ac valde quidem & mihi impropriam, ſed eo tamen minus miram videri, quòd & alios quoſdã ita de deo loquutos eſſe obſeruaui. Eorũ vnus, non nullius nominis, & in ſermone ſuo ſatis alioqui accuratus, regiã adminiſtrationem ſeu gubernationem proximè accedere dicit ad ſimilitudinem procurationis eius qua deus vnus vniuerſum hoc quod cernimus, moderatur. In Latinitatem certè peccare fateor qui per imprudentiã verbo illo ſic abutitur: at qui prudens ſciénſque, & veri vſus vocabuli illius

non ignarus ita loqueretur, in dei maieſtatem peccaret, & in læſæ maieſtatis tantæ támque ſacroſanctæ crimen vltrò incurreret. A quo enim deus conſtitutus eſſe rerum humanarum ſiue mundi procurator dici poteſt? à quo illi procuratio hæc commiſſa eſſe exiſtimabitur? Sic autẽ multis contingit vt, dũ ſimplici & vulgari ſermone contẽti eſſe nolũt, aliud lingua dicat, aliud dicere mens velit. Sed tum præſertim magnã eſſe adhibenda cautionem ſcitis, quum de deo ſermo eſt. Et hæc quidẽ obiter, non ad accuſandum Vbertum, ſed ad me excuſandũ. Illum ſanè haud ſaltem ſolum in peccatum illud incidiſſe, ex eo quem aliunde attuli loco apparet: cui & alius aliunde adiici potuiſſet, ſi Vberti errorem (qui & ipſe ſatis alioqui accurato plerunque ſermone vtitur) aliorum eadẽ in re errores excuſare poſſent. Non ſum alioqui neſcius, licenter aliquem & poeticè loqui ſibi permittentẽ, poſſe & aliter illo vocabulo vti. Verùm ad hanc excuſationem ne

ipſe quidem Vbertus, vt opinor, confugeret. Addam in tranſitu & hoc, non immeritò cuipiam mirum futurum, illum ſolis Peripateticis adſcripſiſſe quod fuiſſe tantùm quorūdam ex iis exiſtimatur: & quidem id cum Epicuro cōmune habentium, quemadmodum apud Lucretium quoque cernere eſt.

Sed interim mentionem Turcarum nimium diu differo: quum iam debuerim ad eū Folietæ ſermonem venire, quo oſtendit illos eo circa religionem impedimēto, quod habent Chriſtiani maximum, carere. Impedimentum autem vocat illas Peripateticorum, de quibus modò dictum fuit, diſputationes. Scribit enim, *Quo impedimento planè carēt Turcæ, quibus philoſophiæ ſtudium legibus eſt interdictum.* Ac ſe tamen non eſſe neſcium ait quin veterator improbus alia hoc de cauſa fecerit, nimirum ne legum ſuarum vanitas appareret: ſed Turcis interim commētum hoc eſſe vtile ad religionis ſuæ opinionem tuendam. Hanc

igitur illorũ animis penitus inſitam, diuini numinis metuentes facere, illorúmque ſtudia ad religionem excitare & incendere. Atque hinc fieri vt erga erroris illum plenum cultum omnia illorum falſæ pietatis & diligentiæ officia in omnes partes planè conſtent. Nam templa ſumma cum veneratione frequentare, diuini numinis pacem atque opem demiſſiſsimè atque humi proſtratos expoſcere: res ſacras venerari, ſacerdotes non modò legis ſuæ, ſed noſtros quoque in tanto honore habere, vt illos quoquo modo violare nefas putent. Id verò præſertim quod, paucis interiectis, adiungit, valde Turcas, tanquam magna ſuam religionem reuerentia proſequentes commendat. *Nulla igitur* (inquit) *in deum immortalem conuicia apud illos audiuntur, nulla ſunt adulteria: nihil deniq; in quo legis violatæ aut negligenter obſeruatæ ſit offenſio.* Mirum certè eſt, illum tanta, quæ in tantum Chriſtianorum dedecus redundat, hyperbole vti. Si paulo ſaltem parcior laus fuiſſet,

veriſimilior certè eſſe potuiſſet. Si nimirum (exempli gratia) pauca, vel rara, non autem nulla dixiſſet: præſertim vbi de adulteriis loquitur. Sed illis ſubiungit iſta, *Quanquam non ſum neſcius, atrociora flagitia ab impia & execrabili illorum lege illis permitti.* Quæ certè adiectio laudem illam inquinat & polluit. Niſi quis ita excuſet, vt dicat, legem quidem illis permittere, ſed illos non omnia quæ ab ea permiſſa ſint, ſibi indulgere. Verùm aliquis ita loquenti haud immeritò obloqueretur ſtatim illud poeticum, *Si credere dignum eſt.* Sequitur autem apud eum, & quidem proximè ſequitur, ſermo, qui cũ illis quæ poſtrema ex eo attuli, non cohæret. Nam verba illa, *Quanquam non ſum neſcius, atroc.* &c. proximè excipiunt iſta, *Cuius obſeruationis illuſtre exemplum noſtra ætate à ſummo imperatore Solimanno editum non pigebit referre.* Atqui illa proximè præcedens periodus nullius obſeruationis mentionem facit. Ideóq; dicamus neceſſe eſt, reſpicere hæc nõ ad proximè pręcedentem periodum,

ſed ad finem eius quę illam antecedit: ad hæc videlicet eius verba, *Nihil denique in quo legis violatæ, aut negligenter adſeruatæ ſit offenſio.* Neq; enim dubito quin *adſeruatæ* pro *obſeruatæ* hunc in locum irrepſerit. Atque ita, omiſſis ijs quæ interiecta ſunt, optimè cohęrebunt iſta, *Cuius obſeruationis illuſtre exemplum noſtra ætate à ſummo imper.* &c. Sed quãuis illuſtre ſit exemplum, (vtpote ab ipſo imperatore editum) eo minime contentum eſſe debuiſſe Vbertum dico: ſi quidem quod dixerat, perſuadere nobis volebat. Interim tamen illius commemorationem, (præſertim quum illuſtre & ipſe agnoſcã) vobis minime denegabo: ſed ita vt compendio ſermonis vtar. Quum vna ex puellarum gregibus, quas ſummi imperatores Turcarũ intra ſepta in concubinatu habent, Solimannum ſui amore captũ ſenſiſſet, & ab eo manumitti vellet, (quũ alioqui in ſeruitute illius eſſet, ſicut cæteræ puellæ, necnõ pueri qui ijſdem ſeptis includuntur) id vafro hoc commẽto aſſequuta eſt.

Accer-

Accerſita enim, (quod & antea factũ ab eo aliquoties fuerat) admodũ mirari ſe reſpondit, tantum imperatorem ſacram Mahumetis legem palã violare: qua liberarum concubinatus diſertis verbis prohibeatur. Hoc reſponſo cõmotus imperator, tunc quidem libidinis impetum inhibuit: poſtero autem die quum ex legis peritis ita ſe rem habere vt illa dixerat intellexiſſet, vxorem duxit. Quandam autem Vbertus velut antitheſin eius quod à Chriſtianis hac in parte fieri ſolet, ſubiungens, ſcribit, *Non neceſſe habeo nunc contrà referre vt ſeſe hac in re habeant Chriſtiani: ne vulnera, quæ ſanare non poſſum, attrectando refricem.* Atque his verbis illum de religione locum, ſiue caput illud, claudit. Sed ad illam de Chriſtianis antitheſin quod attinet, iſtud ſilentio minimè prætereundum cenſeo, eum alicubi aliquod crimen, cuius accuſandi ſunt Chriſtiani qui certas quaſdam regiones incolũt, potius quàm alii, in omnes Chriſtianos tranſcribere. Exempli gratia, nõ pro-

cul à lucubratiunculæ ſuæ principio, hoc inter alia ſæpe quæſiuiſſe ſecum dicit, vnde fieret vt tot de Chriſtianis hominibus ad Turcas continenter transfugiant, Chriſtianáq; religione eiurata Mahumetanæ ſectæ nomina dent: quum contrà nulla aut perrara illorum ad nos fiant transfugia. Hæc ſunt eius de Chriſtianis verba, tanquã omnes, ſine vllo diſcrimine, ęquè huic apoſtaſiæ malo ſint obnoxij. Quis tamen ignorat nefarij huius & impij transfugij nõ æquè in omni orbis parte (Dei beneficio) Chriſtianos eſſe inſimulandos? Ac ſunt etiam certè quos tandem ita pœnitentia tangat vt ad Chriſtianiſmũ redeant. Cuius rei memorabile exemplum vidi, quum Venetiis apud Odettum Seluã, Henrici II, Gallorum regis, legatũ, verſarer. Is enim quum me percharũ haberet, & ad pleraque à quibus alios excludebat, admitteret: voluit & cuiuſdam Itali ſermonem audire, qui ſe apoſtaſiæ ad Turcarum religionem (quum ſectam dicere potius deberet)

accuſabat:ſed ab ea per pœnitentiam reuocatum ſe aiebat: dummodo pontifex ſe ad veniam ipſi dandam haud difficilem præberet. Promiſit ille regis Galliæ legatus ſe ad pontificem ea de re ſcripturum. Quod quum feciſſet, & non multo poſt reſponſum accepiſſet, in quo pontifex non tam facilem ſe oſtenderet quàm ille cupiebat, cui ad fidem Chriſtianam poſtliminio reuerti in animo erat: (eſſe ſibi in animo dicebat quidem certè) tandem in hæc verba erupit, Iterum de me ad pontificem ſcribas velim: certiorémq; eum de hoc facias, ſi vlla pœnæ ſeueritate aduerſus me vti velit, adhuc mihi fores, ſi libeat redire vnde diſceſſi, patere. Exemplum hoc referre viſum eſt, vt in eo perſpiceretur quàm periculoſum & quã ſanatu difficile ſit illud transfugij malum.

Enimvero, quum Vbertus Folieta, quæ in medium affert argumenta ad probandã illam ſuam Turcici imperii tantam magnitudinem, in cer-

tas claſſes,ſeu certos locos, ſiue certa capita diſtribuerit, eundémque ipſe in reſpondendo tenere ordinem ſtatuerim: ad illud de Turcarũ religione caput, quod primum ei eſt, reſpondere plenius incipiam : ſi tamen prius non de hoc tantùm capite, ſed de aliis etiam præfatus pauca fuero. Hoc igitur aio, omnibus Folietæ capitibus, vnde ſua, vti dixi, argumenta petit, communem eſſe hunc errorem, quòd de Turcis vbique ita loquitur, quaſi minimè degenerauerint, ſed maiorum ſuorum veſtigiis per omnia inſtiterint. Contrà enim, parum abeſſe puto quin tantùm Turcæ à Turcis circa multa degenerauerint, quãtum Perſæ à Perſis, ætate Xenophontis, degenerauerant: ſi pro teſte cum locuplete habemus, ſingula in quibus degeneres erant, enumerantem. Quòd ſi quis de noſtra tantùm ætate loquens, eoſdem comparare ſecum voluerit, (ad magnam eorum partem quod attinet) ac ne eoſdem quidem in moribus atq; inſtitutis iiſdẽ man-

ſiſſe dicere auſus fuerit: aliquid quod magis mirum, ſed non tamen quod minus verum, dixerit.

Hac præfatiuncula contentus, ad primum illud caput, quod de religione eſt, venio: ac tantum abeſſe dico vt aliquid eorum quę à Folieta verè hac in parte dicuntur, fateri nolim, vt aliquid etiã ab eo prætermiſſum, quod magni tamen momenti eſt, adiicere ſtatuerim. Turcarum enim maiores, barbari illi quidem, ſed barbaricã prudentiam hac in re ſuperantes, non ſolùm operam dederũt vt ſua religio (ſi maieſtatem diuinam nõ offendit qui hoc ſuperſtitionem illam nomine appellat) nihil controuerſum, ad quod hæreri & aliquis conſcientiis ſcrupulus poſſet iniici, haberet: ideóque minimè in vllas ſectas (quales ex controuerſiis oriuntur) diuiſa eſſet: ſed illud etiam quod aliis, præſertímque Chriſtianis, multo reddere odioſiorem poterat, ab ea procul abeſſe voluerunt: ſanctionem dico, qua libertas aliã religionem, nominatímq; eam quæ ſola

religionis appellatione digna eſt, colendi atque profitendi adimeretur. Quamuis enim de ſuo numinis cultu, qualis qualis eſt, minimè rixarentur, ac ne controuerſarentur quidem, libertatem tamẽ illi repugnandi prorſus, & contra religionẽ Chriſtianam amplectendi, colendi, & apertè profitendi, illis qui ſuæ gentis non eſſent, concedendam cenſuerunt. Ac memini me in multos incidere, qui hoc non mirarentur tantùm, ſed incredibile eſſe iudicarent. Eo certè magis id mirandũ videri poſſit, quo maiore ſuperſtitionis ſuæ longè latéque propagandæ deſiderio tenebantur. Quã-que hoc deſiderium ardens iam olim in Vrchane illo fuerit, qui Nicæã ad deditionem cõpulit (vt alia exempla miſſa faciã) ex hiſtoria diſcimus. Id filio quum patefeciſſet, is ſe in certis quibuſdam Europę regionibus tenebras diſcuſſurum recepit, atque effecturum vt ibi quoq; diuina veritas luceret. Ita enim loquebatur quaſi Muſulmanicæ religioni diuina veri-

tas, Gauricæ tenebricoſa mendacia ineſſent. Gauricæ nomine Chriſtianã ſignifico, vt pro Turcica *Muſulmanicam* dico: quum Turcæ Muſulmanos ſe appellẽt, vt Chriſtianis Gaurorum appellationem tribuunt. Sed ita poſteri præſertim ſuo illi deſiderio moderati ſunt, vt tamẽ libertate illa Gauros frui ſiuerint. Qui quum ſuis ſaltẽ conſcientiis nullum imponi iugũ viderunt, ab alio circa alia iugo, quod non durum tantùm ſed modo non dirum videri alioqui poterat, minus abhorruerunt: ideóque de excutiendo minimè cogitarũt. Nec verò dubium eſt quin conceſſum illud ſuæ religionis Chriſtianæ iubar (quum Muſulmani contrà tenebricoſis illam mendaciis refertam eſſe putẽt) eo facilius oculos animóſque ipſorum perſtrinxerit, quo magis conſiderarunt, quot modis in quibuſdam orbis partibus, à Chriſtianis, aliorũ qui & ipſi nomen Chriſto naſcentes dediſſent, eiúſque religionem colere ſe & profiterentur & probare vellent, non ſolùm con-

ſcientiæ ſed corpora etiã cruciarẽtur.

Sed enim, vt iam hinc incipiam oſtendere quàm verum ſit quod paulo ante præfatus ſum, Turcos à ſuis maioribus circa multa degeneraſſe, multúmque ab illis mutatos eſſe: quis neſcit, pleriſque Chriſtianis non iam, vt antea, illam ſuam libertatem plenè à Turcis cõſeruari? nec plena, vt quondam, in omnibus quæ ad illam pertinent, quiete frui? Satius tamen fuerit huic ſermoni diutius non immorari: ſed tranſire ad illa quæ Vbertus Folieta dè quauis quidem religione primùm, deinde autem de Turcica ſcribit. Dico igitur, me fateri quidem, religionem, eam etiam quæ falſa ſit, & falsò religionis appellatione inſigniatur (quales præter Chriſtianam eſſe ſcimus omnes) ad immaniſſimas etiam gentes in officio continendas multum ſemper valuiſſe, dum prorſus inuiolata, nulliſq; diſceptationibus labefacta maneret: ſed hoc iam poſſe de Turcica iactari, nego ac pernego. In magnum enim apud eos con

temptum adductam eſſe, ex eo apparet, quòd non modò leuiora quædam ad eam ſpectãtia negligere, ſed ipſius propemodum fundamenta conuellere non dubitant. Quum enim ex lege ſui Mahumetis (vel Muhametis, vt alij vocant) ſummum regi ſuo obſequium, & quiddã etiam plus quàm obſequium, ſeu obſequelam, debeãt: hanc vno eodémq; tempore non paruum quendam hominum numerum ſed multa millia violaſſe, & maximas ſeditiones, non ſolùm cum ſummo illius legis contemptu, ſed cum haud paruo etiam ipſius imperij periculo coniunctas, excitaſſe, ſatis ſupérq; notum eſt. Falſum autẽ eſſe, nullas de quibuſdam ad religionem pertinentibus quæſtiones & controuerſias, ac ne dubitationes quidem exoriri, vel ipſa Iezideorum appellatio clamat. Hoc enim nomine infames reddere eos volũt, quibus peculiaris eſt aliqua circa ea quæ ad religionem ſpectant opinio, vel aliquæ ſunt peculiares opiniones: ſicut apud Chriſtianos vi-

demus hæreticorũ appellatione Græca infamari. Manauit autem illud vocabulum Iezidæi à quodã Iezide, qui Agarenorum princeps fuerit, & Mahumetis (ſiue Muhametis) è filia nepotes interemerit, multiſque contumeliis atque iniuriis illius poſteros affecerit. Hac enim de cauſa Iezidẽ illũ aiũt nõ ſolùm pro latrone ſed pro hæretico etiam fuiſſe ab ipſis Agarenis habitum. Iam verò & maximis motibus inteſtinis à triẽnio paſſim in Turcico imperio exortis religio prætexi ſolita dicitur: atque aliquot eſſe hominum centena millia feruntur, qui ſub prætextu purioris Mahumetanæ religionis iugum excutere conati ſint.

Verùm, etiamſi nulla omnino inter ipſos ne nunc quidem controuerſia de religione eſſet, adeo vt nulli ab hac parte motus ac tumultus illis quidem metuendi, at nobis ſperandi eſſent: haberemus ſaltem vnde illam apud alios omnem tandem autoritatẽ eſſe amiſſuram, perſuadere nobis poſſemus. Tam enim conſtat illos ſummã

in ſua religione perfidiam ſibi permittere,quàm hoc conſtare ſcimus,nihil magis nos adducere ad fidendũ religionem aliquã colẽtibus(etiã quę potius ſupſtitio aut ethelóthreſκeia vocanda ſit) àut colere ſe profitentibus, quàm ſi comperiamus, eos iuſiurandum,cui numinis ſui nomen interpoſuerint,nunquã violare. Vnde apud Euphronem, comicum Græcũ, vnus alteri perappoſitè & rationi conſentaneè obiicit,

Mihi inuenito quoſpiam nouos deos,
Illos vetuſtos peieres ne ſæpius.

Adeóque ethnici religionem poſſe & modo non debere vnumquenque officij ſui admonere,& in eo illum continere,putauerunt, præſertim ad ſeruandam fidem quod attinet,vt etiam male de illis ſentirent qui periurij ſuſpectos haberent quos nondum huius criminis alia in re conuictos tenerent. Hoc oſtendit alius comicus,cui nomen Amphis, his duobus verſiculis(afferam autem & hîc meam interpretationem)

Adhibere non vult qui fidem iurantibus,
Eſt ipſemet procliuis ad periurium.

Sic etiã alius comicus, cui nomen Antiphanes, iudicat, eum qui ita fidem alicui deneget, alios ex ſuo ingenio, vel potius ex ſua natura, metiri. Ita enim & ille, (me hîc quoq; interprete)

Iurantis ille verba qui temnit viri,
Cui nullius ſit conſcius periurij,
Mihi videtur eſſe contemptor deûm,
Periuriíque ſibimet ipſi conſcius.

Ac commodùm certè hîc recordor cuiuſdam loci Pauſaniꝗ, in Arcadicis, (ſi memoria me non fallit) de Philippo illo, inter Macedoniꝗ reges tam celebri, (quum enim duo eodem nomine fuerint, vnus, Macedonici imperij fundator, alter, euerſor: de illo, nõ de hoc, loqui volo: de Philippo inquam Amyntæ filio, Alexandri patre) eum, quamuis rebus præclarè geſtis cæteros Macedoniæ reges, tam ſe priores quã poſteriores, ſuperauerit, nequaquam tamẽ bonum imperatorem ſiue exercitus ducem fuiſſe. Quæ enim huius ſententiæ in tantum regem latę

cauſa redditur? Illũ fidei interpoſito iureiurando datæ & iurati à ſe fœderis violatorem ſemper fuiſſe. Immo (dicet quiſpiam) quidquid de Philippo iudicet Pauſanias, hoc exemplum pro ſe facere contendent Turcæ, aut aliquis magnitudinis imperij illorum nimius admirator & laudator: tanquã perfidia illi etiam Philippo ad res pręclarè gerẽdas opitulatrix fuerit. Sed illi vel illis reſpõdebo, perinde eſſe acſi diceret Pauſanias, Quanto maiores ab eo geſtæ res fuiſſent, ſi, quam male apud quamplurimos ob perfidiam audiebat, tam bene ob fidẽ ſeruari à ſe ſolitam audiuiſſet. At hæc Turcis occinere, non aliud eſſet quam ſurdo fabulam canere. adeo enim magnũ in ſua perfidia præſidium ponunt, vt inter cauſas tantæ diuturnitatis ſui imperij hanc minimè vltimo loco numerent: quòd datam fidem fallendo, cum alia multa ex hac re commoda perceperint, tum verò magnis hoſtiũ prouinciis potiti fuerint. Sed ſcire tamen poſſunt ſe vel Mahumetis illius

ſentētia damnari, qui, Abdulmelichi Saracenorum regis dux, quum Iuſtinianum II in fœdera peccaſſe vidiſſet, tanquam omnino perſuaſus numen de hac Iuſtiniani perfidia pœnas ſumpturum eſſe, ſcriptas de pace tabulas, ſummæ vexilli haſtæ affixas, ad eum vſque locum in quo futurū prelium erat, præferri iuſſit. Nec verò eū ſpes ſua (vt apud Cedrinū legere eſt) fefellit: quum inſignem de periuro principe victoriam reportarit.

Ac ſolitū certè à perfidia quondā valde abhorrere Turcarum ingeniū, ex eo etiam patet, quòd qui de moribus illorum non ante multos annos ſcripſerunt, eos ita fidem ſeruare inter ſe teſtarentur, vt ne vlla quidē ſyngrapha ſeu chirographo opꝰ eſſet. Ac quamuis fieri poſſit vt alio quis erga exteros quā erga ſuos ſit ingenio, vix tamen vel erga illos poſſe repēte mutari credibile eſt.

Hinc igitur ſatis liquet quàm verè dictum à me antea illud fuerit, Folietam Turcas, aduerſus quos bellandū

hodie Chriſtianis eſt,ab ipſorum maioribus non diſtinguere: ac quantum ab illis degenerarint non conſiderare. Quî enim fieri poteſt vt de Turcis hodie dici iſtud cum Folieta queat? *nihil ab illis fieri in quo legis violatæ aut negligenter obſeruatæ ſit offenſio.* Hoc vt ſibi quis perſuadere poſſit,obſtruat oportet aures ad ea quæ quotidie cum de aliis pleriſq; Turcis,tum vero de Genitzaris,partim audiuntur,partim leguntur.Inter quæ ſilentio prætereundum minime eſt quod ab his factum narratur in magno illo incẽdio quod Conſtantinopoli anno M.D.XL. contigit. Mercibus aliiſque opibus variis, quibus adhuc flammæ pepercerant, furatrices Genitzarorum manus,quę alioqui & ipſæ exſtinguendo incendio adlaboraturæ ſperabantur, minime parcebant.

Secvndvs ei locus,ſiue ſecundũ caput,eſt Diſciplina(militarem intelligit:) illam enim proximum a religione locum in republ. gerenda atq; in imperio amplificando obtinere di-

cit. Sed malè & hîc (ne dicã peſſime) de Chriſtianis meretur: quum de hac loquens, ſcribit, *In qua nihil eſt quòd vlla inter nos & Turcas ſuſcipiatur comparatio: quum apud illos ſumma, apud nos ferme nulla prorſus ſit.* Quum autem de diſciplina militari hoc à nobis intelligi velit, etiamſi generali appellatione vtatur: longè certè eam repetit, atq; à quadam conſuetudine apud Turcicã tyrannidem recepta initium ſumit: quę Chriſtianiſmo ſcilicet valde conueniret. Summum enim imperatorem ait ſtatis temporibus conquiſitores omnibus imperij prouinciis circummittere ad puerorum delectum habendum. Hi, omnib. primæ ætatis pueris ciuitatis in conſpectũ adductis, quorũ indoles ex forma, habitu membrorũ, totáq; corporis ſpecie & aſpectu probatur, eos deligunt: *eorúmq; greges in regiam adducti, in diſciplinã traduntur: in qua iaculandi, equitandi, arma tractandi,* (ita enim ab armorum tractatione iaculationem ſeparat) *omnes denique militiæ artes docentur: animíq; ac corporis vires longa ex-*

ga exercitatione corroborantur. Neq; quiſquam ad militiam admittitur, aut ad bellica munera aſſumitur, niſi longa hac diſciplina & vſu aſſuefactus. In eo quod ſcribit, nō poſſe Chriſtianam diſciplinā vllo modo cum Turcica comparari, ad illam potiſſimum reſpicere conſuetudinē arbitror à qua & ſermonem hunc ingreditur. Sed nec ferre hanc conſuetudinem Chriſtianiſmus poteſt, nec, quàm vtilia ſunt ita longè petita illius diſciplinæ primordia, quæ commemorat, tam neceſſaria dici poſsūt. Alioqui nō apud Chriſtianos tantùm ſed apud alios etiam quamplurimos diſciplina ſuis abſoluta numeris inſtitui non poſſet. Ad exercitationē autē quę hîc requiritur, quod attinet, Chriſtianos omnes ea deſtitui, ac rudes armorum ad bellum venire, cui tandē Folieta perſuadebit? Verùm & quandam Chriſtianarum gentium nōnullis prærogatiuam eſſe, qua fit vt, nulla vel exigua tantùm exercitatione vſæ, pleriſque Turcarum, multum diúque exercitatis, haud cedāt, ne ipſum qui-

dem Folietam inficiaturum credide-rim. Triplicem porro huius Turcicæ diſciplinæ vtilitatem eſſe ſcribit: Ac primam eſſe, hanc ipſam rerum bellicarum peritiã, & firmius corporis robur. Sed cum hac ſumma roboris corporum Turcicorum commendatione haud ſatis videtur cõuenire quod de tenui victu eorum qui in iſtam diſciplinam traduntur, aliquanto pòſt ſcribit. Neque enim à tanta victus tenuitate athleticam quandam corporis habitudinem effici quiſquam dixerit: quum talem alioqui pleriſque in Turcis eſſe fatear: aſſentiente & vernaculo prouerbio, quo quempiã tam robuſtum quàm Turcã eſſe dicimus. Turcas igitur in iuuentute, (præſertímque eos qui diſciplinæ illi nomen dederunt) minus quàm quum ad virilem ætatem peruenerũt, ad parcum illum victum adſtringi (quaſi curatura iuncei reddendi eſſent) credibile eſt. Sed, vtcunq; ſe res habeat, frugalitate victúſque tenuitate, in bello etiã, ſicut ſuos Italos à Turcis vinci Vber-

tus confitetur, ita & ego de meis confiteri Gallis cogor. Verùm haud ſcio an de aliis omnibus Chriſtianis militibus idem fateri neceſſe habeam: etiamſi alioqui videri cupiã poſſit de omnibus Chriſtianorum exercitibus intelligendum quod ab eo dicitur, *noſtri exercitus & claſſes.* Secundam eſſe vtilitatem ait, laborum inopiæque tolerantiam, animúmque aduérſus omnia mala, rerúmque penuriam, inuictum. Ac, paucis interiectis, inde fieri ſcribit vt in bello expeditiores ſint illorum exercitus ac claſſes, haud magna ſarcinarum atque impedimentorum vi agmen tardantibus. Ac contrarium, ſed verum tamen eſt quod ſubiungit, *At noſtri exercitus & claſſes ingenti vaſorum & ſupellectilis mole grauãtur: militéſq; ad laborem inſuetum ſubitò deficiũt. Neq;, niſi rerum omnium copia circumfluãt, poſſunt durare. Neq; neceſſario victu contenti, delicatum quoq; quærunt. Eóq; iam turpitudinis res proceſſit, vt maior penè ſit conuiuiorum & omnium apparatuũ in bello & expeditionibus, quàm in pace, & in vrbano ocio,*

luxus. Pudet referre, iam niuem ad potum refrigerandum claßibus circumuehi. At me non hoc certè tantùm, quod de niue ſcribit, ſed reliqua etiam quæ hoc loco commemorat, ex eo retuliſſe pudet. Sed quid? illud, *noſtri exercitus*, quomodo accipiendum eſſe putabimus? De Chriſtianicis omnibus intelligere, abſurdũ fuerit: ad Italicos reſtringere, aliquam Italis iniuriam facere erit. Verùm, etiamſi eò veniatur, vt à quibuſdam aliis, præſertímque à Gallicis, in ferenda huius ignominiæ parte iuuandi eſſe illi dicantur; eam ſaltem quæ & niuem refrigeratricem aliis quoque, ac nominatim noſtratibus, obiicere velit, deprecabor. Sed quid ſi de ſuis Genuenſibus loqui Folietam, & rem illis vel peculiarem, vel cum paucis communem, deſcribere dicatur? an hoc fuerit nodum ſoluere? In Venetos ſaltem minimè hanc ſuſpicionem cadere ſcio: inter quos qui etiam patritij erant, vitrea vaſcula vino plena, extra feneſtras, ſoli (nõ ad refrigerandum, vt opinor) expone-

bant, inter prandendum ac cœnandum: dum legatus regis noſtri, & aliquot qui eius menſę accumbebamus, nonniſi in ciſterna diu refrigeratum biberemus: ac totum fere famulitiũ eadem voluptate frueretur. Verùm quàm in Venetos hæc ſuſpicio nõ cadit, tam in Genuẽſes cadere videtur. Ac vereor ne Vbertus Folieta in eos ſolùm, aut certè potiſſimũ, huius ſuæ increpationis aciem diſtringere voluerit, non ad has tantùm ſed ad cęteras quoque delicias reſpiciens. Memini enim me Genuæ ante multos annos conuiuiis ita circa delicias gallicizantibus excipi, vt non Genuę, ſed in medio Lutetiæ, mihi natalis ſoli, & in menſarum ibi lautiſſimarũ lautiſſima epulari mihi viderer. Sed enim, quicunquè tandem ſint qui ita, & optimo quidem iure, increpãtur (præſertim quum, etiamſi poſtremæ illæ, id eſt, poſtremò commemoratæ, niuis refrigeratricis deliciæ excipiãtur, negare nequeam quin nimium delicati nonnunquam eſſe noſtri quoque

exercitus dicẽdi ſint) ita locum hunc claudam, vt fatear, eorum quoſdam à Turcicis frugalitate & temperantia ſuperari, tantas verò illas quorundam delicias ab iiſdem vel pudefieri. Sed addam, minimè dubitandũ eſſe quin, ſi his quoque aduerſus Turcos bellandum ſit, ſuas illas luxu haud carentes cupiditates debellare prius & velint & poſſint. Ita enim & in mediis aduerſum Turcos caſtris velle deliciari, nó tam ſit aduerſum illos dimicare, quã diuinam miſericordiam magno cum periculo irritare.

Tertiam, quæ ex illa diſciplina Turcica prouenit, vtilitatem, eſſe ait obedientiam: atque hac virtute rem bellicam in primis contineri. Tantum enim eam honorem mereri putat, vt præcipuam in re bellica virtutem vocare non dubitet: aliter iam virtutis appellatione vtens quàm in ſuæ lucubrationis inſcriptione, vbi VIRTVTIS AC FELICITATIS TVRCARVM IN BELLIS PERPETVÆ dicit. hîc enim quia virtutem de fortitudine intelli-

gat, minimè dubium eſt. Cæterùm, quum de hac vtilitate illi aſſentiar, de eo quòd tertium demum illi locum aſſignauerit, diſſentio. Cur enim primo eam loco non dignatus eſt, quum de tanto eius in re militari momento illi cum omnibus conueniat? Fortaſſe tamen aliquis hoc decus, quod ſpeciei tribuitur, ipſi generi, id eſt, diſciplinæ militari, dandum potius fuiſſe contendet: & ita quidem vt, ſicut primas in re militari partes diſciplina tenet, ita obedientiã primas in hac tenere dicat. Ibi certè vnde abeſſe hanc videmus, ataxiã eſſe, & tandem anarchiam futuram, affirmare poſſumus. Sed enim, quum hanc apud Turcas tantam eſſe ſcribat, vt neque noſtra neque vllis ſæculorum ætatibus apud vllas gentes maior fuerit, nos contrà (inquit) contrario vitio flagitiosè laboramus. *Contumaces enim ſunt milites noſtri, neque imperiis obedientes: quippe qui nulla diſciplina manſuefacti ſint, nullóq; pænæ metu in officio contineantur.* Se autem nõ de ſuis Italis militibus tantùm, ſed

de omnibus Chriſtianis, quotquot mi litant, loqui, oſtendit, his quæ proximè addit verbis, *vt Chriſtianorum caſtra ipſorum militum noſtrorũ ſeditionibus quàm hoſtium oppugnationibus infeſtiora fere ſint.* Quis eum hîc vti hyperbole negauerit? ſed hyperbolæ qua vſus erat in laudem Turcarum, hyperbolen quæ in Chriſtianorũ cederet dedecus, opponere voluit. Niſi fortè ex ſuis Italis militibus, in quorum nonnullis tam ſeditioſa ingenia obſeruauerit, alios omnes Chriſtianos metiri voluerit. Verùm ne de Italis quidẽ perſuadere mihi iſtud poſſum: qui alioqui Gallos minus quàm illos hoc vitio laborare, dicere vix auſim, ſi dicere quod verũ eſt velim. Sed fieri etiam poteſt vt, per auxeſin, quibuſlibet contentionibus nomẽ ſeditionum tribuere voluerit. Atqui multas contrà videmus contentiones inter milites (Gallos præſertim) ortas, & illos maximè quibus aliqua natalium nobilitas cum animorũ nobilitate (ſi de generoſis animis ita loqui licet) coniuncta eſt, rerum be-

ne gerendarum occaſionem præbere: dum, ſtimulante & hos & illos gloriæ bellicæ cupiditate, hi illis, illi his eam præripere conātur. Ac, ſi magno plerunque hanc inter illos nobiles æmulationem bellis fuiſſe noſtris bono dixero (quũ Turcæ contrà eã ignorẽt, ſicut illã natalium nobilitatẽ, qualis apud Chriſtianos, inter ipſos Turcas iacere notum eſt) me quod veriſſimũ eſt dixiſſe, nemo, vt opinor, negaturus eſt, qui aliquid de Gallica militia audiuerit. Interim verò, vt plerunque alicui commoditati, (& quidem ei ſæpe quæ magna eſt) aliquod incommodum adiunctum eſt, vix reclamare illis auſim qui eandem rem aduerſus diſciplinæ militaris obſeruationem contumaces ac refractarios reddere non paucos queruntur. Neque verò in iis tantùm quorum mentionem feci Gallis militibus, ſed in aliis etiam, qui eo quem dixi gradu cæteros non antecedunt, contentioſa inueniri ingenia fateor: & tam ob hanc cauſam, quàm ob quaſdam alias, vix eſt in quo

magis à Turcis quàm in diſciplinæ militaris obſeruatione vincamur. Cuius tamen maiores noſtri, vt rei in bello præ quauis alia non vtilis tantùm ſed ſalutaris, obſeruantiſſimi fuerunt. De ea autē potiſſimū eius parte loquor, de qua nunc agitur: rē docere ſolita, ad quam præcipuè mortalium quamplurimorum indocilia ſunt ingenia: obedientiam inquam.

Neque verò de gregariis militibus ſolùm vel potiſſimum queritur noſter Folieta, ſed eiuſdē accuſationis aciē in eos qui ipſis aciebus præſunt, atq; adeo in ipſos ꝓceres audet diſtringere. Haud enim cōtentus dixiſſe de militibus, contumaces eſſe, miniméque imperiis obedientes, ita vt Chriſtianorum caſtra, ipſorum militum ſeditionibus quàm hoſtium oppugnationibus infeſtiora fere ſint: addit, *Quo vitio ne duces quidem ipſi ac proceres carent: quorum pleriq; deprauatis cupiditatibus, ac priuatæ ambitioni, quóq; nihil fœdius eſt, quæſtui ſeruientes, ac bellum cauponantes, rempublicam produnt: nullámq; principibus ſuis nō*

modò fidelem ac fortem operam nauant: *ſed alterius* (niſi fortè *alter alterius* ſcripſit) *gloriæ inuidia & obtrectatione, ad rem bene gerendam ſibiipſis ſæpe mutuò impedimento ſunt.* Ac, quemadmodum de militum vulgo dixerat, contumaces eos eſſe, neq; imperiis obedientes, quòd nulla diſciplina manſuefacti ſint, nullóq; pœnæ metu in officio contineantur: ita de his ducibus & proceribus addit, *nulla pœnæ exſpectatione à tanto flagitio deterriti.* Súntque huius tam acerbæ expoſtulationis clauſula iſtę voces, *Vt nullus iam ſit apud nos, quò deſcendamus, inferior dedecoris & infamiæ locus.* Si Vberto Folietæ, hæc de pleriſque belli ducibus Chriſtianis ac proceribus etiã ſcribenti annuendum eſt, non abnuo quin ſententiam ſtatim mutem, & noſtris nihil non deſperandum eſſe, at Turcis (præſertim ſi tales aduerſus eos duces ac proceres mittãtur) quiduis ſperandũ, eſſe clamem: ac, quam ille felicitatem in bellis fuiſſe iis ſcribit perpetuam, ad multos annos duraturam promittam: quantum quidẽ

præſaga mens mortalium poteſt promittere. Verùm Vberto, ita in Chriſtianos belli duces, atque exercitus proceres, declamanti (ad exercitus enim proceres vocem hanc ab eo reſtringi arbitror) vt de quibuſdam aliis antea, altum occlamabo: vel potius pro me hic verſiculus occlamabit,

Parcito paucorum tranſcribere crimen in omnes.

Vereor enim ne tandem à pleriſque, quos perfidiæ, & quidem proditoriæ, inſimulat, venire ad peroſque omnes audeat. Cuius autẽ ſcripti lectio Turcarum auribus accidere queat iucundior? præſertímque ad hanc eius partẽ quod attinet? Quid magis animos illis aduerſus nos addere poſſit? Neque enim dubium eſt quin, ſi ad eorum aures perueniunt quæ male illis ominantur, aut quouis alio argumento aduerſus eos ſcribũtur, multo ea magis quæ aures, animos & ſpes eorum excitare valent. Sic enim cuiuſdam aduerſus ſe ſcripti prognoſtici, & ab Vngaris iactati, in ſuis hiſtoriarũ monumẽtis fe-

ciſſe mentionẽ dicũtur. Huius autem de regni illorum cataſtrophe progno ſtici autor fuiſſe fertur Antonius Torquatus, Ferrariẽſis, philoſophus, medicus, aſtrologus clariſſimus. Eius initium eſt, *Ad immaniſsimos Turcos ratiocinationem meam conuertam: quos longum, latum & magnum imperium, diuitiarũ magnitudo, frequentia victoriarũ & gloria, tantum extollet, eorúmq; animos & ſpem ſic eleuabit, vt ſibi putaturi ſint nec cœlum reſiſtere poſſe. Atq; idcirco ad totius orbis imperium adſpirabunt. Aſſyrios & Ægyptios, maximis preliis fractos, ſuperabunt. Armenios, Parthos, & Perſas continuis preliis moleſtabunt. Pluries aduerſus eos victores & ſuperiores euadent, & quandoq; ſuccumbent. Magna ſtrage ſuorum in Chriſtianos arma mouebunt.* Tam multa ex eo prognoſtico non afferrem, ſed ad illud te remitterem, niſi paruo interuallo ipſe etiã annus qui Chriſtianos ſummo dicit̃ gaudio affecturus, vtpote voti compotes facturus, indicaretur. Perſequar igitur, *Venetis primùm multa inferent damna. Poſt eorum amici facti Belgradum in ditionẽ*

recipient, Rhodum ſuperabunt, Pannoniã & Vngariam multis cladibus afficient. Tandem vim comminantes, regnum Vngarorum lacerantes, ſimúlq; imperium Romanum Germanúmq; diutiſsimis bellis tentantes, in eorũ manus cadent. Annus erit Chriſti 1594, *vel* 1595. Verùm & alia quædam mala, antequam hoc bonum contingat, ab illis impẽdere ait. Subiungit enim, *Sed prius Apuliam intrabunt, Siciliam, Galliæ Hiſpaniæq; litora claſſe ſua, necnon Italiam moleſtabunt & affligent. Timorem magnum Chriſtianis immittent. Sed Chriſtus tamdẽ, ſuorum ſtragem non ferens*, &c.

Verùm, vt ab his, in quorum mentionem imprudens propemodum incidi, (licet ab argumento quod tracto minimè alienorum) ad Turcorũ diſciplinam militarem reuertar, quę ab Vberto Folieta ad cœlum vſque laudibus extollitur: abſit vt hoc ipſi concedam, illi diſciplinæ, qualiſcunque & quantacunq; antea fuit, nihil deceſſiſſe. Alioqui enim me cùm aliarum recentium hiſtoriarum, tum verò cujuſdam quam paulo ante attigi, quum

de religione eorum agerem, eſſe immemorem oporteret. Ex ea enim diſcimus, non ſolùm multum obedientiæ ſolitæ deceſſiſſe, ſed tandē ex eorū pectoribus, tum temporis quidem, abſceſſiſſe. Quod verò quidam & hac eam laude cumulant, vt etiam eſſe ſpontaneam dicant, præſertímque eorum maioribus talem fuiſſe: neſcio an apud alios fidē, qui & ipſi eam valde prędicant, mereri poſſit. Apud me quidem certè non meretur: quum à ſeruilibus ingeniis (qualia ſunt Turcarum) vix proficiſci ſpontanea illa obſequela poſſe videatur: ſi quidem aliquid ingenui habere illam neceſſe ſit. Sed de hoc aliorum eſto iudiciū. Ipſius tamen Folietæ iudicium nō eſt quod hîc exſpectemus: quum id, quale ſit, nobis, ſi attendamus, declaret. Quò enim alioqui ſpectat ille toties inculcatus pœnæ metus? Nam in ſua Turcarum & Chriſtianorū antitheſi, Contumaces enim (inquit) ſunt milites noſtri, neque imperiis obedientes: quippe qui nulla diſciplina man-

ſuefacti ſint, nullóque pœnæ metu in officio contineantur. Ac paulo poſt, vbi eadem, immo grauiore etiam accuſatione ipſos exercituum duces, ac modo non proceres, quàm gregarios milites, aggredi audet, totam magni, vel potius maximi, quod ab illis proficiſcitur, mali culpam, aut ſaltem cauſam, in malum hoc confert, quòd nulla pœnæ exſpectatione (nam ita loquitur) à tanto flagitio deterreantur. Vtrobique enim (vt aliis de locis taceam) perinde eſt acſi diceret, metũ illum, qui obſequentes & morigeros reddit Turcas, ab horum Chriſtianorum mentibus abeſſe. Vnde fit vt de Turcis recitari poſſint & debeant illi Horatiani verſus,

Oderunt peccare boni, virtutis amore:
Oderunt peccare mali, formidine pœnæ.

Quorum tamen verſuum poſteriorẽ quum recito, Horatij me autoritate abuti nõ ignoro: quum ſuppoſititius ſit, ac falsò illi adſcribatur. Sed neminem è lectoribus futurũ puto qui me apud Horatium huius accuſare abuſus

ſus velit. Quòd ſi quis illam nihilominus obedientiam ſpontaneã tueri pertinaciter vellet, ad eam vulgarem de Turcis opinionem confugiendũ eſſet, ex qua fit vt quamplurimi illos vel præſentib⁹ mortis periculis iń bello ſe offerre, ſéque id in ipſis haud mirari dicant: nimirum quòd eos eſſe perſuaſos exiſtiment, ſe in bello pro ſui imperij ſuæque religionis propagatione ſuſcepto occumbentes, in locum ſtatim receptum iri vbi incredibilis quædam beatitudo illos exſpectat. Verùm, etiamſi paſſim hoc de illis audiatur, quum tamen tam diligẽs illorum encomiaſtes Folieta nullam eius mentionem fecerit, vix dignum cui à me potius quàm ab illo fides adhibeatur, iudicare audeo. Quis enim illum obliuione, ac nõ illa potius quã dixi de cauſa prætériiſſe id exiſtimet? Huius ſiquidem opinionis referendæ pulcherrima occaſio ſe offerebat, cum alibi, tum verò vbi commemorans quod de vitæ termino, quem fatum vnicuique ſtatuerit (ita vt neque

proferri, neque contrahi poſſit) perſuaſum habent, hęc etiam adiicit, *Proinde, quum præſtituta hora mortis venerit, eam omnino eſſe obeundam: ac nihilo minus eſſe moriendum, ſi in cubiculo tuo clauſus procul ab omni diſcrimine fueris, quàm ſi in medio pugnæ ardore inter mille in te vnum intenta tela verſeris: ſi non venerit, te ab eiuſdem telis iugulum tuum petentibus nihilo minus quàm in cubiculo, tutum fore.* Hîc, inquam, valde aptè illius perſuaſionis mentionem feciſſet, ſi ea illi genti ineſſe dici poſſet, & peculiarem quendã ad mortem fortiter oppetendam ſtimulum illis addere: quum illa contrà quæ ab eo afferuntur, adeo illi Turcorum genti propria nõ ſint, vt vel prouerbialia quibuſdam aliis fuiſſe dici poſſint. Nec dubium eſt quin quod Ænobarbus, Solimanni in expugnatione Caſtellinoui, Dalmatiæ oppidi, legatus, quibuſdam reſpõdit, idem & alij plerique, minimè Turci vel nati, vel facti, reſpondiſſent. Nam quum ille in ea oppugnatione non ſolùm nihil quod ad fortiſſimi imperatoris

munus pertinere dici poſſet, præter-
mitteret, verùm ſe nonnullis etiam la-
boribus fatigaret, quos aut quorum
partem aliis imponere per militares
leges licebat: & quotidie de multa
adhuc nocte è nauibus in caſtra profi-
ciſceretur: ac nunc munitiones adi-
ret; nunc tormentariis machinis ad-
ſtaret, modò inter equites eſſet, mo-
dò pedeſtres copias inuiſeret: ſingu-
los compellaret ac cohortaretur, &
omnes ad fortiſſimè pugnandum ani-
maret: ſæpe etiam non prius illinc ab-
iret quàm pro ſe quenque in conſpe-
ctu ſuo egregiam aliquam operã na-
uaſſe vidiſſet: hoc Sanzaci (qua digni-
tate præditos quidam Sangiachos vo
carunt) conſiderantes, illi timere cœ
perunt. Ad illum igitur accedentes,
orare cœperunt ne ſe tot tantíſq; pe-
riculis exponeret: ſed quantam in e-
ius cæde iacturam Solimannus factu-
rus eſſet, ſecum perpenderet. At ille,
Si eo ſum fato (aiebat) vt in iſta obſi-
dione mihi cadendum ſit, num cura-
re debeo an hodie, an multis poſt die-

busid contingat? gladio an bombarda, in terra an in mari, occidam?

AB hoc de militari diſciplina capite antequam diſcedam, de hoc etiam monebo, non parum de magnitudine Turcici imperij hac tẽpeſtate deceſſiſſe, quod ad ordinariorum militũ numerum attinet, ſi quidem quæ hodie à nonnullis ſcribũtur cum iis quæ ante ſexaginta plus min⁹ annos à quibuſdam ſcripta fuerunt, conferantur. Nam Richerius, qui de ſtatu imperij Turcici ſcripſit (& ſe ex Egnatio, Blõdo, Platina, Riccio, Gaguino, Paulo Iouio, Andrea Cambinio, aliiſque ſinon eloquentiæ primæ, maximæ tamen fidei ſcriptoribus, ſemina collegiſſe ait:) poſtquam dixit, delectus qui ab ipſo Turcarum imperatore habentur, equitum ac peditum eſſe, & vtrorumque plura eſſe genera: *Nam vt hos primùm expediam* (inquit) *prætoria cohors fortiſſimorum peditum eſt, qui eorum lingua Ianizari dici ſolent. Hi initio quidem pauci fuere, ſed nunc ad quadraginta millia excreuerunt. Imperatorem, Aga duce, (ita enim*

eum qui eiuſmodi ordini præeſt appellant) perpetuò circumeunt. In quibus ſagittarij ſunt ad quinq; vel ſex millia: qui quòd ſiniſtrorſum arcus ſuos intendunt ac remittũt, Czolaclar, hoc eſt ſiniſtri, populariter dicuntur. Addit, eſſe in his ducenos cæteris proceriores, & militari diſciplina magis claros, qui ab equitãte imperatore ne latum quidem pedẽ (ita enim loquitur) diſcedunt: atq; hos appellari Solachos. (Optimè autem conuenit hîc ei cum illis qui Solachos, eſſe ipſius imperatoris circumpedes, ſiue circumpedaneos, ſcribunt) Et paucis interiectis, quę de Ianizaris adiicit, (ſed Genitzari potius appellandi ſunt) Alterum, inquit, genus eſt peditum, quos ſingulæ prouinciæ, ac ciuitates, mãdato imperatoris, ſuis ſumptibus, nempe collata in ſingulos menſtrua ſtipe, ad bella mittunt. *Aſapi nominantur: & quadraginta millium, ac paulo plurium, eorũ eſt exercitus.* Facta deinde inter pedites mentione lixarum etiam, & calonum, fabrorum lignariorum, aliorúmq; qui pugnantibus neceſſaria miniſtrant,

vias aperiunt, atque aliis huiuſmodi officiis funguntur: ad equites venit, quorum quoſdam, Spachi oglanos, (ſi tamen ita eum ſcripſiſſe credendũ eſt) vel vnico vocabulo Spachiglanos vocari ait. Ac poſtquam hos omniũ ſelectiſſimos eſſe ſcripſit, qui partim equitibus præfici ſolent, partim peditibus: atque in his omnẽ Turcicæ militiæ vim eſſe: legationes obire, & San giachatibus, hoc eſt prouincialibus præfecturis, atque id genus munerib⁹ fungi: hos denique filias ſororéſve imperatoris vxores ducere, tanquam cæteris omnibus clariores, ac de ipſo principe bene meritos: capite quoque, vt alios, mitrato eſſe, & aureis ſericiſve indumentis verſicoloribus vti: tandem ad numerũ eorum veniẽs, eſſe mille ait, quorum ſit, exeuntẽ vrbe principem dextra comitari: lęuam verò mille alios equites cingere, qui Solaſtri, ſiue Soluphtari, appellentur: & quorum omnino eadẽ ſit cum Spahiglanis & vitę, & nobilitatis, & veſtiũ atque armorum ratio. Iis adhærere

alios quoque mille equites Vluſagos, cõflatos partim ex Ianizaris, egregio aliquo facinore nobilitatis: partim etiam ex ſeruis de Baſſa aut Belerbeio pugna aliquà benemeritis: vt qui fidelem iis promptámque operã periculo imminente præſtiterint. Poſt hos, eſſe Charippicos, pari numero & conditione: niſi quòd leui ſunt armatura. Ex his denique equitum peditúmq; generibus portam principis cõſtare.

Sed alios eſſe equitum ordines ſub Belerbeiis, Subaſios ac Timoriotes, ſeu Thimarcinos. Eos eſſe qui pro numero villarum aut locorum quæ principis mandato Turcæ poſſidẽt, ab iis, agente id conſuetudine, aluntur, ac trium millium aſprorum ſtipendium in ſingulos annos capiunt. Alios eſſe Mozellinos, lectos ab iis quibus olim Turcarũ imperatores acquiſitos bello agros diuiſerunt.

Verùm quũ hi poſteriores non magnum omnes ſimul numerũ efficiant, ad alios tandem venit: quorũ millia fere triginta eſſe dicit. Hos vocari Al-

canzos, ſiue, vt quibuſdam placet, Aconizios, hoc eſt, fatales ſeu fortunæ milites. Eos nullo ſtipendio militare, ſed vnis ſemper aut binis caſtris antecedentes excurrere prædabundos, & quintam prædę partem ad imperatorem manubiarum nomine deferre. Omnes autẽ eiuſmodi copias in duos exercitus diuidi, Europeum atque Aſiaticum. His præeſſe Belerbeios, hoc eſt præfectos præfectorum: ſeu principum principes: atque hos eſſe duos: quorum hunc, Aſię pręeſſe, illum, Europæ. Hæc libuit ex illo afferre, vt ex eorum & quorundam etiam aliorum collatione cũ illis quæ à quibuſdam hodie memorantur, probarem quod propoſueram, magnitudinem imperij Turcici non parum imminutam eſſe, quod ad militum ordinariorum numerum attinet. Interim verò & alia paucula inſerere, hinc diſcenda, non iniucundum lectoribus nonnullis fore exiſtimaui: & cum venia veſtra me id facturum ſperaui. Turcicas appellationes ex illo fideliter ex-

ſcripſi: quamuis alioqui quaſdã apud alios alias eſſe non ignorarem,& quidem quibus vti, rationi magis conſentaneum videri poſſit. Ne longè abeamus: illos prætorianos equites, quos aliquanto ante Spachi oglanos, (ſi quidem ita ſcripſit) vel vnico vocabulo Spahiglanos appellari ſcribit, à nonnullis breuius Spahos vocari videmus: à quibuſdam Spahileros, vel Iſpahileros. Sed tamen & Spahoglan-aga de tribuno equitum apud alios legitur. Vbi obſeruandũ eſt quoque illud Aga (quemadmodum & in Capitzilar-aga, de ianitorũ tribuno) quo nomine Richerius noſter dici ait eum qui Ianizarorum ordini præeſt.

Quos verò idem, inter illa quæ poſtrema ex eo attuli, Belerbeios vocauit, eodémque & antea nomine appellauerat, ſcio quidem & à pleriſq; aliis ita nuncupari: ſed hoc quoque noui, nõ deeſſe qui Begler-beg, & quidem rectius, ſcribant: & exponant, Princeps principum, vel Dominus dominorum, Qui ſub ſe dominos, aut ma-

giſtratus ſiue præſides alios,habet. Item,Supremus caſtrorum præfectus. Quum autem alios ſub ſe magiſtratus ſiue præſides habere dicitur, tam de ciuilibus quàm de caſtrenſibus quidã intelligunt. Sunt porro obiter & Turcicę appellationes huiuſmodi(nã & alias habent quaſdam huius notæ) conſiderandæ: quoniã,ſi non faciunt ad adſtruendã tantam illam magnitudinem imperij Turcici quantam eſſe contendit Folieta,ad ſplendorem ſaltem eius multum facere dici poſſunt. Verùm(quemadmodum rectè vulgari prouerbio dicitur)quidquid ſplendet,non eſt aurum. Siquis enim alioqui eos titulos qui ipſi Turcarum regi,ſeu imperatori, dantur, cõſideret, humile quiddam ſubeſſe videbitur iis quos Chriſtiani vno omnes ore (id eſt, vno oris conſenſu, licet non eodẽ ſermone vtentis) noſtris principibus Chriſtianis tribuimus. Quid enim deo optimo maximo reliquũ fit, quũ ille Turcarum imperator, Sultan olem, ſiue Sultan alem, id eſt dominus

mundi,ſalutatur? Verùm ne ipſa quidem Sultani appellatio, abſque vlla adiectione, alij quàm deo, ſine profanatione, conuenire poteſt: ſiue quis Omnipotentem interpretetur, quod ſonat vna expoſitionum Cedrini: ſiue Regem regum, quod ſonat altera: ſiue Sultanum non aliud quàm dominum ſignificare dicamus, (quod hodierno apud Turcas vſui illius vocabuli potius aſſentitur) ſed hoc titulo dominatum illius cum dominatu dei opt. max. cōparari: qui & ipſe paſſim in ſacroſanctis libris Dominus, abſq; adiectione vlla, nominatur. At hoc reſtabat ſcilicet, vt noſtrates in dando illi imperatori hoc titulo Italos imitarentur.

Nondum noſtro illi Richerio valedicere ſtatui. Duo enim ab eo, inter illa quæ ex eo ſumpta protuli, ſcribuntur, quę prius examinãda cenſeo. Ac vnum eorũ eſt, de quo accuſationem Vberti Folietæ, vel alius cuiuſpiam, excuſatione mea libet pręuenire. Læuam principis vrbe exeuntis

equites mille cingere ait (iam autem de aliis mille dextram cingentibus lo quutus erat) q. Solaſtri ſiue Soluphtari, appellẽtur: & quorum omnino eadem ſit cum Spahiglanis, & vitę, & no bilitatis, & veſtium atque armorũ ratio. Illi quippe ſtatim vndique obſtrepetur. apud Turcas enim non eſſe illũ nobilitatis gradum, ſiue illam nobilitatis prærogatiuam, quæ apud Chriſtianos eſt. Ac cum alios, ex recentioribus etiam, teſtes citabunt, tum verò Busbequium (cuius ego autoritatem magni facio, vel ob ea quæ de rebus Turcicis, quarũ oculatus erat teſtis, differentem audiui) in itinere Amaſiano. Eius igitur & audienda & conſideranda ſunt verba, *Nullus in frequentiſsima Cæſaris Solimanni aulà & tanto exercitu nobilis, niſi ex ſuis virtutibus & fortibus factis. Natalibus nemo à reliquis diſtinguitur: honos cuiq; pro muneris & officij, quod adminiſtrat, ratione, defertur.* Deniq; nullũ ibi de loco certamẽ eſſe ait. nam genus illud muneris quo fungitur, ſuum cuique locum aſſignare. Munera ve-

rò & officia principẽ ipſum diſtribuere: & quidem in hac diſtributione nõ diuitias, non fumum nobilitatis pendere: non gratiam cuiuſque aut multitudinis iudicium morari, ſed merita conſiderare: ſed mores ingeniúmque atque indolem intueri. Ac fere quis ad ea verba obſtupeſcat quæ valde paruo interuallo ſequuntur: Qui rerum primas à principe tenent, fere eſſe paſtorum aut bubulcorum filios. Nec deſint fortaſſe qui & iſta valde mirentur, Tantum abeſſe vt eos pudeat, vt etiam inter ſe glorientur. Verùm, vt ad huius loci initium reuertamur, haud poſſit quis inde Richeriũ noſtrum accuſare. Illi enim patrocinans aliquis, Solaſtris, ſiue Soluphtaris, necnon Spahiglanis, nobilitatem tribuentem, non de nobilitate natalium, ſed de nobilitate ex virtutibus & fortib. factis parta loqui dicet: ſicut Busbequius Solimanni aulã tantũq; exercitum, nullum qui aliunde quàm hinc nobilis ſit, habere ſcribit. Fateor tamen hunc videri poſſe non ſatis ſi-

bi conſtare, in eo quod aliquãto poſt addit, ipſum principem in munerum & officiorum diſtributione non diuitias, non fumum nobilitatis pendere. Quis enim hic nobilitatis eſſe fumus poteſt, niſi natalium ratione habita? Sed alia hoc ex parte occurrit, nullã haberi natalium rationem poſſe, aut fruſtra haberi, atque adeo nullum inter natales poſſe diſcrimen conſtitui, quod ad iſtud nobilitatis genus momenti ſit alicuius, ſi ne filij quidẽ eorũ qui ad ſummos honorũ gradus à principe eucti fuerint, ſe ſeruorum numero poſſint eximere. Immo vero ne hos quidem qui à principe in altiſſimos illos honorũ gradus ſublati ſint, ſeruitutis iugum exuiſſe quidam opinantur, niſi per aliquam cum principe affinitatem. Facta autem & à noſtro Richerio fuerat paulo ante mentio quorundam qui etiam filias ſororéſve principis in vxores ducunt. Apud eundem non longo interuallo Ianizari egregio aliquo facinore nobilitati opponuntur ſeruis. Sed quid

aliud his in locis valet Nobilitati quã Dignitatem adepti, vel Honores con ſequuti? Nec dubito quin multi hoc potius quàm illo eſſe loquendum mo do dicturi ſint. Interim vero quæſtionem hanc de quorundam Turcarum & nobilitatione & hanc ſequente eorum nobilitate in medio relinquam: boni conſulens ſi Richerio noſtro bo nam patrocinij mei ope præſtitiſſe opem dici potero.

Ad aliam de militante nobilitate tranſibo diſſertationem, cuius oneri nõ minus quidem impares humeros meos ſentio: ſed illis imponam tamẽ, quum impoſitum & tempore exiguo geſtatum in alius cuiuſpiã humeros poſſe transferre ſciam. Quid vero tibi, vel potius ei quod tractandum ſuſcepiſti argumento, cum nobilitate? dicet quiſpiam. Immo, quoniam ad magnitudinem imperij Turcici quidam & hoc facere arbitrantur, quòd nulli eodẽ quo apud Chriſtianos modo nobiles dicantur: ac ne ſint quidẽ: aut certè ſiquo ſit modo hic nobiliũ

ordo, in ordinem cogatur: ideo huic meo conuenientiſſima argumẽto diſſertatio illa fuerit. Sed vos rogatos velim vt, quamuis mihi minimè neceſſe ſit è veſtra Germania ad inueniendum infinitum nobilium numerum egredi, ad meæ tamen Galliæ nobiles digrediar: cum quibus, & ob cõmunem patriam & ob multo maiorẽ notitiam, familiarius agere audebo. Duos autem exercitus Gallicos mihi aliiſq; pariter ante oculos ponam: in quorum vno multi nobiles, in altero nulli militent: ſic tamen vt alioqui æquè hic atque ille non ſolùm militum robuſtorũ numero ſed aliis omnibus exercitui neceſſariis inſtructus ſit: an eadem ab vtroque exercitu, aduerſus eoſdem hoſtes, in eaſdem difficultates & anguſtias redacto, ſperabuntur? Eadem qui ſperabũt, illi ſe, quæ ſit vis illius nobilitatis, quas illa ſtimulos ad res præclarè gerendas addat, non ſolùm nunquam ſenſiſſe, ſed ne audiuiſſe quidem ex iis qui ſenſerint, declarabunt. Illos autem qui iſtud ignorabunt,

bunt (quam ignorationem à vobis omnibus procul abeſſe ſcio) recordari velim eius æmulationis quã inter nobiles oriri in bello plerunque, valde illi opportunam, dixi, & verè quidem dixi. Nec verò ille ſolitus addi à nobilitate ſtimulus, id eſt, a generoſo, nobilium etiam natalium ſibi conſcio & immemore nunquam, pectore (ſicut antea de nobilitatis animi cum nobilitate natalium coniunctione loquutus ſum) hoc facit tantùm vt alter alterum æmuletur, ſed etiam vt paternam, vt auitam, omnem denique omnium maiorum fortitudinem æmulari velit. Atque huc pertinet illud Pallantis dictum, apud Maronem,

Spémq; meam, patriæ quæ nunc ſubit
æmula laudis.

Sic & Euryalus, poſtquam Niſo dixit, Itáne *ſolum te in tanta pericula mittam?* ſubiungit,

Non ita me genitor bellis aſſuetus Opheltes
Argolicum terrorẽ inter, Troiæq; labores,
Sublatum erudiit.

iſta profectò innuens, Hoc nequaquã

eſſet patrem æmulari,ſed contrà,ab illo degenerare. Et,quam ex illa paterna eruditione imbiberit opinionem, ſimul oſtendens,addit,

Eſt hic eſt animus lucis contẽptor: & iſtũ
Qui vita bene credat emi, quò tendis, honorem.

Vbi etiam obſeruandum eſt, talis honoris taliſq; gloriæ cupiditatem, eam eſſe quæ tantum æmulationis ſtudiũ accendat. Hoc EVander quum noſſet, Pallantem filium huius nimiæ æmulationis ſuſpectum ſe habuiſſe, vel (vt magis propriè loquar) ne nimia tandem in eius pectore fieret formidaſſe,ſua deploratione oſtendit,

Non hæc,ô Palla, dederas promiſſa parẽti,
Cautius vt ſæuo velles te credere Marti.
Haud ignarus eram,quantum noua gloria in armis
Et prædulce decus primo certamine poſſet.

Quantum verò iſtud eſt,quòd nobilis vnius exemplo ignobiles etiam plurimi ad virtutem accenduntur? Quos enim labores,quę pericula ſubire nobiles non recuſant, fieri non poteſt

quin vulgus militum eoſdem eadémque ſubterfugere pudeat. Sed quorſum de militante nobilitate tam multa? dicet quiſpiam. (iterum enim anteuertere hanc obiectionem volo) Vt Folietam aduerſus Folietã imiter: id eſt, aliqua tandẽ & ipſe aduerſus eum antitheſi vtar: ſed qua non tantùm dicam, militiæ Chriſtianę, nobiles militantes habenti, cedere omnino Turcicam, in qua nulli nobiles militent: (quamuis alioqui nihil huic deſit eorum quæ ad robur, in ſpeciem, æquandum requiri poſſunt) verumetiam Folietam, ob tam acerbam tam multorũ nobilium reprehenſionem, acerba ipſummet reprehenſione dignum coner oſtendere. Primùm enim, paucorum in pleroſque crimina (præſertim ad illa grauia quod attinet) tranſcribit: vt antea dixi. Deinde ita loqui de illis nobilibus videri poteſt, quaſi nobilium, magna ex parte, natura ſit illis obnoxia. Atque in hoc perinde facit acſi quis eum qui minimè valetudinarius antea fuiſſet, ſed tamen aliquãdo

tandem ex peſtilentiæ contagione ægrotare cœpiſſet, corpus quod natura ſit morbis obnoxium habere diceret. Cum qua enim peſtilentia comparari corruptela ſeculi noſtri non poſſit? Tantam certè hanc corruptelam dicere poſſumus, vt qui adeò malè affectam ab ea nobilitatem videat, ſi quidem ante hunc inde contractũ morbum eam non viderit, Folietæ potius quàm mihi, naturalem eius (vt ita dicam) habitum, in iis quæ præceſſerũt, deſcribẽti, fidem ſit adhibiturus. Præſertim verò illud quod dixi, gloriæ cupiditatem ad æmulationem fortiũ factorum pectora nobilium ſolere accendere, cui perſuadebo, ſi illa omnino repugnantia apud Folietam legat? alterum alterius gloriæ inuidia & obtrectatione ſibiipſis ſæpe mutuò impedimento eſſe. Immo verò futurum ſpero vt aliquis ea quæ modò dixi, ſimúlque teſtimonium conſiderãs quo natura nobilitatis non à Marone tantùm (licet eius autoritate tantùm niti voluerim) ſed ab aliis etiã quampluri-

mis atque adeo ab ipſa experiẽtia ornatur, nõ incredulam meis verbis aurem præbeat.

Ad crimina autem vt redeam, quæ nobilibus impingit, (quũ ad ipſos vſque proceres exercituum veniat) tam grauia, ſimúlq; tam noua (de nonnullis eorum loquor) tam magno nobilium numero obiicientem quenquã audire me haud memini. Ac illi certè rem per mihi gratam faciẽt qui eum de ſuis loqui Italis magis quã de meis Gallis, aut de veſtris Germanis, ſibi perſuadebũt. Vt tamen Folieta bona me fide agere intelligat, vnum ex enumeratis ab eo criminibus eſſe fateor, quod multis nouum futurum eſt: ac, quum plerique Italos graue illius onus debere totum ſuſtinere exiſtimaturi ſint, ego quorundam è meis Gallis humeros adiutores dabo. *Stipendiis interuerſis*, inquit, *numerum militum mentiuntur, aliis in locum eorum, quum exercitus luſtratur, ſubornatis. Quo fit vt copiæ noſtræ, ſtipẽdiis freque͂tes, raræ ſub ſignis ſint.* Quid vero me hoc de quibuſdam noſtra-

tibus celare profuerit,quum iam ex illis ipſis nõnulli ſint qui patefecerint? Ne ipſe quidẽ Noeus certè, inter huius ſeculi,& quidem recẽtiſs. etiã memoriæ, duces, celeberrimus,illud tacendum ſibi putauit. Quòd ſi illi hoc furtum monumentis literarũ (non ſine magna certè inſectatione) prodẽti adſtitiſſem,nomen etiam indicaſſem quod apud nos illis vmbris datur. Quidni enim vmbras vocare liceat milites illos ſuppoſititios, & in verorum locũ ſubornatos, qui poſt luſtrationem exercitus non magis comparent quàm ſi euanuiſſent? Poſſem autem fortaſſe Italis alios etiam quàm Gallos ſocios dare: ſed motos præſtat componere fluctus. Hoc tantùm addo, ſi in expeditione aduerſum Turcas idem committeretur, ſacrilegiũ, meo quidẽ iudicio, appellari poſſet, quod furtum ſimpliciter in aliis exercitibus vocaretur. Cæterùm,quamuis ita loquutus ſit Folieta vt non minus in equitatu quã in peditatu fraudem illam fieri intelligi poſſit,tamen

vt circa equitatum haud ita facilè ad-
mitti poteſt,ita nec admiſſam à duci-
bus noſtratibus me audire memini.
Admitti certè tanta nullo modo poſ-
ſet. nam interdũ vix triginta pro cen-
tum comparere ſcribit idem Noeus.

Inter alia autem valde hoc mirum
videri poteſt apud Folietã,quòd,quo
pluribus & grauioribus criminibus
Chriſtianos onerauit, eo magis Tur-
cas omnibus exoneret: immo nõ cri-
minum tantùm circa rem militarem
ſed vitiorum etiam expertes eſſe con
tendat. Hoc profectò,ſi verum eſſet,
multum ad imperij Turcici magnitu-
dinem faceret:ſed ne verum dici poſ-
ſit,quædam obſtant hiſtoriæ de non-
nullis eorum etiam qui baſſæ à digni-
tate appellantur. Quòd ſi ſuperiori
iam tempore verè illud dici haud po-
terat,quanto minus in ea quæ & apud
Turcas noſtro tẽpore ſuperuenit cor
ruptela dici poterit? At Folieta no-
ſter tamẽ, poſtquam omnibus illis vi-
tiis,quæ Chriſtianis exprobrauit, ca-
ſtra Turcarũ carere dixit, iiſdẽ vitiis

(nec nõ iis de quibus ante dictum eſt criminibus) totidẽ, immo plura etiã opponit, quibus Turcas mirum quantum ornat. Nam Turcæ (ſi credere dignum eſt) non ſolùm quietiſſimi ſunt milites atque imperiis obedientiſſimi, militariaque munera impigrè obeunt: ſed etiam omnem ferociam prelio reſeruant: atq; hoc ingentibus animis ineunt & ſuſtinent. Neque primis aduerſis rebus ſecundáq; hoſtiũ fortuna franguntur, aut aciem deſerunt: ſed maiore legũ & pœnæ quã hoſtis metu continente, fortiſſimè dimicantes, locũq; aſſignatũ tuentes, fortunam ſe vertentem exſpectant, omniáq; vltima experiũtur. Immo quæ eſſe queat bello ſatis conueniens ferocia, qui eſſe poſſint ingentes animi in illis qui adeo ſeruili ſunt ingenio vt metu pœnarũ magis quàm alia re vlla in officio contineantur? Verùm interim ille pœnarum metus metum hoſtis expellit: inquies. Sed quid ſi ego contra, eorum pleroſque duplici metu turbari contendã? præſertim quũ

addas, atrociſſimi ſupplicij horribilē, ac fœdā ſpeciē animis illorum obuerſari. Quòd ſi ſeruilia Turcarum, maxima ex parte, ingenia non eſſent, cur pauci quidam apud illos Iognolli vocarentur? atque hac appellatione illi ſignificarentur quibus tale quid à natura inſitum eſt quale apud Chriſtianos nobilibus pręſertim inſitũ eſſe dixi? Nam illa vox (vt quidam volunt) de iis dici ſolet qui nō minus animoſi, quàm manu prompti ſunt, & ſponte in prelia ruunt. Vbi etiam obſeruandum eſt illud Sponte: quippe quo ab his cæteri diſtinguuntur, qui non virtutis amore, ſed formidine pœnæ, vt antea dictum à me fuit, peccare oderunt. Ac quid aliud ex illis tuis proximè pręcedentibus verbis elici poteſt? Quod vero illos omnem ſuam ferociā bello reſeruare ſcribis, repugnat iis quę hiſtoriæ de Genitzaris memoriæ prodiderunt, vbi ſeditiones ab illis ſuum etiam aduerſus principē excitatas deſcribunt: & quædam ab illis per longè aliam quàm bellicam fero-

ciam, id eſt, per ferociam furore permiſtam, facta commemorant. Ex aliquot tamen quæ memorabiles mihi legenti viſæ ſunt, (præter Conſtantinopolis ab his Genitzaris direptionē) eam tantùm quæ memoriæ prima ſe offert, ſumam. Sultano Baiaſiti I I filij erant octo: de quorum vno (cui nomen Achmetes) ſibi ſubſtituendo cogitare cœpit, quòd & ſenio fere iam confectus eſſet, & podagræ doloribus in dies magis ac magis conficeretur. Hunc filium Achmetē, cui, quòd primus ordine naſcendi foret, natura imperium potius quàm vlli cæterorum dabat, id ſe etiam viuo volebat adminiſtrare. Sed quum princeps ſuo illi filio tradere imperium vellet, Genitzari huic eius voluntati aduerſabantur, præpinguem eſſe eum & minus ad res gerendas idoneum prætexētes: & Selimem, præ quouis alio, dignum qui regno præficeretur iudicantes. Interiecto aliquo tēporis ſpatio, per quod omnia princeps Baiaſites ad collocādum in ſolio ſuo Achmetē (quum alij

interim eodem adſpirarent) tentauerat, & ſolos Genitzaros ſuo ipſius deſiderio velut obicem quendam ſeu repagulum eſſe viderat: aliquando tandem ſummo mane agmina illorũ con ſociata ad Sultanei ſeraij ſiue palatij fores accurrerũt: ac multis minabundis vociferationibus flagitatũ ingreſſum quum obtinuiſſent, ſtatímq; con curſu ab illis ad principis conclaue facto, ipſe placare illorũ animos conatus eſſet, filium Achmetem pro exercituum imperatore offerens: adeo de ſua illos pertinacia deducere non potuit, vt illum ſibi præfici recuſarent, at Selimem velle conclamarent. Denique fruſtra occlamante principe, ab eo minis eorum territo, & à circumſtantibus nonnullis proceribus perſuaſo (quibus adeo formidoloſi erant Genitzari, vt vix animi compotes, de vita deſperarẽt) vt ſibi quod petebant daretur effecerunt.

Sed conſiderandum hîc, longè aliter ſe rem habuiſſe quàm in multis ſeditionibus ſolet, vt ceſsẽt, eo quod pe-

titum fuit conceſſo. Hîc enim primã petitionem ſecũda, ſecundam tertia, de tradendis ſimul theſauris, ſequuta eſt. Nec magis de ſecunda aut tertia quã de prima pati repulſam eos oportuit. Conſiderandum etiam, eos perfidiæ primæ ſecundã adieciſſe. Quum enim iam in eo eſſent perfidi, ꝗ principis ſui volũtati de eligẽdo Achmete, nõ Selime, reſiſterent, vímq; inferrẽt: eam perfidiam alia cumularũt: quòd, quum ſemel atque iterũ promiſiſſent, illum, poſtquã Selimem exercitibus præfeciſſet, vt ducis munere fungeretur, in imperio ac ſolio regio tamen manſurum, nihil minus quã huic promiſſo ſteterunt. Ex his igitur patet, non quã parum obſequentes, ſed quã inobſequentes, ſuperiori etiam ſeculo, Genitzari ſuo ipſorum Sultano ſe præbuerint. Quid dico, quã inobſequentes? Ita loquẽs, nihilque grauius addens, Folietæ gratificarer: qui proculdubio, ad facinus illorũ extenuandum, ita de illis loqui contentus eſſet: ſed mihi Folietam hac in re ſequi vo-

lenti quis ignoſceret? Dicam igitur quod dici verè poteſt: ex his apparere, ad quantam iam olim ferociam, ad quantum in principem ſuum furorẽ Genitzari venerint. Immo vereor ne furorem dicẽs, facinoris grauitatem non aſſequar, ſed multum ei detrahã: quum illi qui furore correpti aliquid committũt, aut excuſandi, aut minus ſaltẽ accuſandi ſint. At verò hi ita ſe in hac ſua ſeditione geſſerunt, vt mala mens illis in principẽ ſuum fuiſſe (vel ſiquid mala aut etiam peſſima mente peius dici poteſt) ſed in nulla conatuũ parte mens defuiſſe videri queat. Dicendum igitur (meo quidem iudicio) nos immanis Genitzarorũ aduerſum principem ſuum conſilij, quod nõ ſine pari immanitate exſequuti ſint, exemplũ hîc habere. Quo enim progredi vlterius cuiuſquam in ſuũ principem immanitas poteſt, quàm vt vitam cum regno illi ſe ademturũ minitetur, & verba in rem conferre paratus ſit? Ecce quam in Genitzaris fiduciam Turcici reges collocare poſ-

ſint. At Genitzarorum tamen præſidium illis principibus ſacram eſſe ancoram nouimus. Quo autem magis hic Baiaſites beneficus antea in eos fuerat, eo crimen illorum maius redditur. Quòd ſi tam barbara támque perfida eſt aliquãdo immanitas in his Genitzaris, qui præ aliis aliqua honeſtæ inſtitutionis præcepta deguſtaſſe exiſtimantur, quid de aliis dicendum eſt? aut ſaltem quid cogitandum? Sed eſt tamen cur ab illa inſtitutione vix quidquam tale poſſe exſpectari putẽ, quale nonnulli ſcribunt. Si enim verum eſt, ex illis pueris eo quo dictum antea fuit modo vndique conquiſitis (licet quidam prolem Chriſtianorum tantummodo eſſe arbitrentur) & diſciplinæ militari traditis, conflari id Genitzarorum agmen: ſed illos pueros prius agricolis Turcis committi, & apud eos per aliquot annos & operas ruſticas obire & laboribus aſſueſcere, & Turcicam linguã diſcere, fieri vix poſſe reor quin ex illa cum ruſticis cõuerſatione aliquid ruſticum &

agreſte imbibant: tantum abeſt vt aliquid generoſi inde haurire pectora illorum poſſint. Cuiuſmodi generoſitatem ipſe etiam Folieta facere nõ potuit quin agnoſceret in illa de qua diſſerui antea nobilitate: quum illam habere vim magnam ad animos hominum excitandos ad virtutem cõfeſſus eſt. In illa autẽ generoſa pectora eam quam commemorauimus perfidiam minimè cadere, ſatis cõſtat. Tantum abeſt vt cum Folieta putandum ſit, iſtud quoque ad imperij Turcici magnitudinem facere, quòd ille qualis apud Chriſtianos nobilitatis gradus in eo ignoretur, aut nulla eius ratio habeatur.

Ad Decvs aliud tranſit, quod illi tantopere à me prædicatæ generoſitati conuenientiſſimũ ac coniunctiſſimum eſt, quódque maximum eſſe mortalibus, & maximos efficere illos ſcimus: nimirum ad virtutem: hoc nomine fortitudinem appellans. Sic autẽ loquitur, vt ſuſpicionem aliquã præbeat, nõ auſum ſe quod ſentiebat

profiteri. Scribit enim, *Iam verò virtutem, quæ in cauſis imperij amplificandi præcipua eſt, ſi maiorem in Turcis quàm in noſtris hominibus eſſe dixero, & iniurioſus in gentẽ noſtram fuerim, & magnam inuidiæ molem mihi conflarim. Illud tantùm dicam, virtutẽ maiore in honore eſſe apud Turcas: illíq; vni eſſe in rebus militaribus locum.* At is qui ita loquitur, nónne eius quod dixi, ſuſpectum ſe reddit? Nam quid neceſſe alioqui erat, addere, futurum vt, illud dicens, magnam inuidiæ molem ſibi conflaret? Hæc enim verba eum metu retineri ſubinnuunt, ac detrahunt ei quod proximè præceſſit, ſe iniurioſum in gentem ſuam fore: faciúntque vt accipi hæc ita poſſint quaſi dixiſſet tantùm, ſe iniurioſum in gentem ſuã viſum iri. Quæ tamen de ſuſpicione iſta dixi, in medio relinquẽs, (ne ſuſpicax nimium iudicer:) & obiter in verba illa inquirẽs, Iniurioſus in gentem noſtrã fuerim: eum, ſi gentem ſuã de ſola Itala dixit, iniurioſum in cæteras gentes Chriſtianas fuiſſe: ſi de omnibus Chriſtianis gentibus intelligi voluit,

luit,nouè (mea quidem ſententia)loquutum eſſe dicere potero.

Quòd ſi in ſuam gentem Italam, vel potius in vniuerſas quæ Chriſtianiſmum profitentur gentes, verbis illis iniurioſus eſſe non vult: at his ſaltē quæ ſubiungit,iniurioſus (paulo quidem certè minus)eſſe audet.Illud tantùm dicam (inquit) virtutem maiore in honore eſſe apud Turcas. Satis ſupérque dixiſſet, atque interim minimè in Chriſtianos iniurius fuiſſet,ſi ita loqui voluiſſet,Mirū eſſe,nō etiam in maiore apud Turcas quàm apud Chriſtianos in honore eſſe virtutem: & ſubiunxiſſet,Pręſertim quum illi vni in rebus militaribus detur locus: iiſq; tantùm hominibus munera mandentur,quorum conſpecta virtus, atque in rēpubl. merita, per omnes deinceps honorum gradus, ad ſummos vſque extulerunt. Cæterùm ſuo deinde more ad antitheſin veniens,nobilitatem contrà apud ſuos altiſſimū locum tenere ſcribit, eóſq; maximis muneribus pręfici,qui,quum nullum

ſui documentum dederint, ſola nobilitate familiæque ſplendore eniteant. At ego, quod hac in parte in Italia fit, (nam quum dicit Apud noſtros, de Italis potiſſimùm loqui, inde etiã conijcere eſt, quòd non longo interuallo ſcribat, hinc fieri vt multi, Chriſtianã militiam deſerentes, in qua nullũ virtuti ſuę locum eſſe videant, ad Turcas ſe conferant) quàm rectè fiat, aliis iudicandum relinquens, huic malo remedium apud noſtros inuentum eſſe aio, vt nobilibus in bello parum exercitatis, quũ alicui magno muneri pręficiuntur, alij, ſi non ita nobiles, aut ne vllo quidem modo nobiles, at rei militaris periti, ſæpe etiã peritiſſimi, adiungantur, qui eorum ſint vicarij: ita vt eorum autoritate potius quàm conſilio res gerantur. Ac valde certè fallitur Folieta ſi filios ac fratres regum alia conditione poſſe excipi arbitratur. Se enim hos facere eximios dicit: quòd his ſummum imperium mandari, non modò nõ damnoſum, ſed vtile in primis reipublicæ ſit. At-

que iis quæ proximè addit, de autoritate mihi aſſentitur: quum hæc apud eum ſequantur, Nam cùm in omnibus rebus valet autoritas, tum verò in bello tanta ſunt illius momenta, vt maxima rerũ pars in illa poſita videatur. Ac ipſe viciſſim ei de illa quã autoritati tribuit laude ſubſcribo, ei comitem eſſe ſolere obedientiam. Illorum enim imperia nec milites nec eorũ duces detrectare audent, quorũ ſumma dignitas omnem inuidiam & obtrectationem exuperat. Verùm ad imperia quod attinet, quid ſi regis filius aut frater, in re militari inexercitatus, aut parum exercitatus, aliquid exercitus duci imperet, quod hic dux non damnoſum tantũmodo, ſed perniciosum futurum præuideat? nónne, petita prius venia, detrectare imperium licebit? Eò igitur noſtrum venire Folietam neceſſe eſt, vt quales dixi vicarios talibus regum filiis ac fratribus adiungendos eſſe fateatur. Verũ, hoc mihi conceſſo, eò illum multis rationibus propoſitis adigam, vt etiã

quibuſdam nobilibus multo inferiorem gradũ tenentibus,non tantã quidem ſed ſimilem eadem in re autoritatem,eádem cõditione tribuendam eſſe confiteatur.

Quamuis autem præuideam,me ab Vberto Folieta facilius & alterum iſtud impetraturum,ſi,quæcunque de honore quem Turcas virtuti magis quàm nos (ſi de ſuis tantùm loqui exiſtimandus non eſt) habere ſcribit, fidem apud me impetraſſe viderit:fieri tamen haud poteſt vt à me iſtud beneficium obtineat. Nam hoc quidẽ ſcio, nõ eum tantùm, ſed alios quoq; vno omnes ore, propoſita eſſe apud Turcas virtuti pręmia,memorare,eáque interdum maxima,etiam infimę propemodum ſortis hominibus nonnunquam: (eos enim ob res præclarè geſtas ad ſupremos honores promoueri, dum primarios magiſtratus aut ciuiles aut militares adipiſcuntur,aut opes propè regias conſequuntur : ac nõnulli tandem vel ad ipſam cum rege affinitatem perueniunt) ſed cautè

ſatis Folietam loqui nego (ſæpe autẽ qui non ſatis cautè, is nec ſatis verè loquitur) quum apud Turcas iis tantũ hominibus munera mandari dicit, quorum conſpecta virtus atq; in rempublicam merita fuerint. Hoc enim illi nego ac pernego: quòd huic etiam munera mandandi conſuetudini corruptelam quandam irrepſiſſe ſciam: multóſq; hæc pretio (ſicut & alia nonnulla, quæ contra morem eſſe venalia cœperunt) vel fauore, non virtute, emereri. Immo verò per horum vtrũq; ad illa quoſdã peruenire dici poteſt, quum ſint qui fauore concubinarum ipſius principis pretioſis donis expugnatarũ ad illos honores perueniant.

AD POENAM & præmium (ſe autem mihi non multo etiam antè occaſio diſſerendi de præmiis obtulerat) inde tranſit: quum pœna & præmio reſpublicas in primis contineri, conſtans ſit veterũ ſententia. Sed mirum eſſe dicit quanto interuallo Turcis vtraque in re ſimus inferiores. Verùm hîc, ſicut in ſuo de virtute Turci-

ca ſermone(quemadmodum & hîc fatetur) fore intelligens vt, ſi Turcarũ rationem noſtrę anteponat, magnam inuidiæ molem nomini ſuo conflet, grauiſſiméque apud multos offendat, ſe ab hoc tantum abfuturũ ait, vt noſtram longè humaniorem & præclariorem eſſe ſtatuat. Turcarum enim omnia conſilia & inſtituta ad bellum referri: contrà apud nos pacis & otij ſtudia potiora & maiore in pretio eſſe, maioréque opera & diligentia, ac maiore pecuniarum & temporis impenſa excoli. Sed paulo aliter loqui Folieta debuiſſe videtur: ac minimè dicere, Turcarũ omnia conſilia & inſtituta ad bellum referri(ne nihil illos politica curare, nullos magiſtratus ciuiles habere exiſtimentur: quũ quidã ſcripſerint, cẽſores etiam habere, qui de neglectæ orationis inſimulatis pœnas ſumant) ſed tantùm, ad bellũ præcipuè conſilia & inſtituta illorum referri, quum apud Chriſtianos contrarium cernatur. Cæterùm Folieta, vt probet quod de Chriſtianis dixit,

pacis & otij ſtudia potiora apud illos eſſe, ſtatim ad ingentem ſacerdotum ac monachorum numerũ venit: hóſque ampliſſimas opes & magnam potentiam poſſidere ait, ac ſplendidiſſimum cultum tueri, latifundiíſque & opulentiſſimis ac frequentiſſimis cœnobiis ſuis omnes Europæ prouincias occupare: maximorúmque fructuum & vectigalium noſtrorum partem illis cedere. Dico autem noſtrorũ, ſicut ab illo dicitur, quum de Gallia id non minus quàm de Italia intelligi (vt opinor) voluerit: immo etiam vltra Italiam & Galliam & Hiſpaniam, necnon Germaniã, progredi voluiſſe credibile ſit. Sed, ne in illis hanc opulentiam nõ æquo animo ferre, aut etiam velle reprehendere videatur, maiorũ noſtrorum hac in re pietatẽ & ſapientiam in primis eſſe laudandam ait, qui in ſacerdotum ordinẽ & in ſacras res tam liberales fuerint, quíque tantam opum ſuarum partem in diuinum cultum ſplendide tuendum, atque in egentium inopiam ſubleuandam, bo-

narúmque artium & doctrinæ ſtudia fouenda & alenda tam largè contulerint. Hinc ad iudicia tranſit: quæ apud nos maioribus contentionibus, maioréq; eloquentia & longiore temporis tractu exercentur: vnde magnũ nos iuriſconſultorum & iudicum numerum habere: necnon oratorũ, cauſidicorum, ſcribarum: quibus ampliſſima prȩmia & magnæ mercedes ſunt conſtitutæ: forenſémque operam & induſtriam, haud exiguã Chriſtianarum opum partẽ ad ſe trahere. Chriſtianarum enim opum dicit, minimè dubium hîc relinquens quàm latè extendi velit quod dicit: etiãſi in nõnullis orbis Chriſtiani regionibus idem comperiri haud poſſit. A' iudiciis ad literarũ & doctrinȩ gymnaſia trãſitum facit: in quæ pariter fieri magnã impenſam declarat: quum tamen & antea liberalitatis maiorum in ſtudia etiam bonarũ artium & doctrinæ fouenda & alenda mentionem feciſſet, eámque cum cœnobiorum mentione coniunxiſſet. Nec verò de ſum-

ptibus tacet qui in manuum artificia fiunt, atque in immanes ſubſtructiones, & quædā alia: immo ſuum de his ſermonem ab exclamatione inchoat. Ad ſuæ autem enumerationis finem quum venit, illa omnia fatetur quidē Chriſtianas prouincias mirè exornare, ſimúlque facere vt Turcæ, rudes & agreſtes præ nobis videantur: ſed bellicis rebus & augēdo imperio aptà eſſe negat, quòd magnam opum Chriſtianarum partem, in bellum inſumēdarum, auferant. At cōtrà hæc omnia eſſe apud Turcas tenuia, vel nulla. nā ſacerdotum numerum exiguum eſſe, cultúmq; pertenuem, neceſſariis tantummodo rebus ſuppeditatis: iudicia nulla contentionibus agitari: ſed tam breui tempore cauſas forenſes tranſigi, vt minimè neceſſaria ſit tanta patronorum & ſcribarū copia. His addit, nulla eſſe apud illos monachorū inſtituta, (ſed Vberto Folietæ de hoc cum nonnullis, qui de Turcarum rebus ſcripſerunt, haud conueniet) nullas ædificiorū moles, nullum in quo-

tidiano cultu ſplendorem: victum tenuem, neq; vllo coquorum artificio elaboratum. Neque enim Turcas iſta curare aut ſuſpicere, ſed omnia illorũ in bellicos vſus inſumi, omnéſque opes ac præmia viris militaribus cedere. Ac, quum hi ſoli ſint apud illos in honore, mirari nos non debere, ſtrenuos & bellicoſos viros, Chriſtiana militia relicta, cui perexigua præmia ſunt propoſita, & quorum etiam pauciſſimi ſunt participes, ad eam ſeſe conferre quæ ipſos dignitate & opibus augeat.

Ad hæc reſpondeo cùm alia, tum hoc: quum longè maior ſit, dei beneficio, multarũ Chriſtiani nominis regionum, & priuatim etiam vrbium, opulentia, quàm Turcicarum, id eſt imperio Turcico ſubiectarum: non eandem quamplurimis Chriſtianis, quam & Turcis, neceſſariam eſſe parcimoniam. Quemadmodũ enim quũ lupus è paruo & facilè numerabili pauperis alicuius grege (nam *pauperis eſt numerare pecus*) tres aut etiam duas

tantũ oues ſubripuit, id ſtatim animaduertitur, & non multo pòſt damnũ ſentitur: quòd ſi idem prædator multo plures è maximo & propemodum innumerabili grege abſtraxerit, vix animaduertitur illud decremẽtum, & vix vlla huius damni, vbi animaduerſum fuerit, ratio habetur: (vnde illa poetæ petitio eſſe iuſta videtur,

At vos exiguo pecori furéſq; lupíq;
Parcite: de magno eſt præda petenda grege.)

ita Chriſtianorum in quibuſdam regionibus opulentia facit vt ſumptus ab illis in aliud quiduis potius quàm in bellum facti, qui Turcas vel pauperare poſſent, Chriſtianis illis contrà parui adeo ſint, vt magnum opum cumulum vix imminutum inde ſentiãt. Immo eos quomodo pauperari dicemus, qui iam pauperes, plerique vel pauperrimi ſunt? (de iis enim loquor qui nondum beneficam principis ſui manum ſenſerunt: nec, munitis eius autoritate artibus effecerunt vt ſępiſſime manus auro graues domum re-

ferrent: quales multi baſſæ artes nouerunt) quomodo eos ſuam omnem pecuniã ſumptibus bellicis reſeruare dicemus, qui nullam habent? Tantũ abeſt vt Folietæ fides adhibenda ſit, ita loquenti acſi ex huiuſmodi reſeruatione mirum quantũ ad magnitudinem imperij Turcici accederet. At videri alioqui poſſit cuipiam ita de vnoquoque Turca loqui, quaſi de eo dici poſſit,

Quod ille vnciatim vix demenſo de ſuo,
Suum defraudans geniũ, comparſit miſer,

id bellicos in vſus totũ abſumit. Iam vero ſiquis Folietam, licet tanquã de vnoquoque priuato etiam loquatur, tamen quum priuatorum nõ ſit, apud Turcas præſertim, ſymbolas in belli ſumptus conferre, immo ſtipẽdia accipere: hoc de principe tantùm atq; illis quos ditauit, aut qui ſe iis quas dixi artibus ditarunt, intelligere contendat: videndum an qui ita de ipſo etiam principe verba facit, ſatis conuenientia loquatur tantæ Turcici imperij magnitudini, quantã deſcribẽs,

vult nos ſibi ſubſcribere. Dicendum enim erit, regem illum cuius alioqui theſauri nõ minus quàm mare quodpiam ſunt inexhauſti, in pleraque tamen nullas impenſas facere, in quæ à regibus Chriſtianis & aliis pleriſque principibus fieri ſolẽt: quoniã metuit ne ſuum ærarium magna ex parte exhauriat, ita vt poſtea ſumptibus bellicis impar futurus ſit. Verùm etiãſi Folieta nobis tali ſermone de illo vteretur, atque ita cautum potius & prouidum quàm tantorum eſſe dominum theſaurorum (vt illa tantæ magnitudinis deſcriptio requirebat) oſtenderet: cur Chriſtiani reges, quos idem non tenet nec tenere debet metus, eiuſdẽ parcimoniæ legibus ſe adſtringerent? aut, niſi hoc facerent, nũmos, qui in bellum abſumendi erant, in alia potius omnia præabſumpſiſſe dicendi eſſent? Sed eſto tamen, aliquando tandem id accidere illis noſtris regibus à quo ſibi minimè metuunt, vt à fundo ſuorum theſaurorum proximè abſint: nónne ſciunt, ad ſacerdo-

tum & monachorum bona, & opulentiſſima atque frequentiſſima cœnobia (quibus Folieta maximã fructuũ & vectigalium partem cedere ait) ſe poſſe, quoties neceſſe fuerit, cõfugere? Cyrus apud Xenophontem ſuos amicos pro ſuis theſauris habet: quis regi Chriſtiano non multo magis, ſi ſe ad anguſtias redactum videat, cùm alia aliorum amicorum bona, & potiſſimum ſibi intimorum, tum verò eorum qui eccleſiaſtici vocãtur, ſacram fore ancoram non confidat? præſertímque, ſi nõ quoduis bellum ſed aduerſus illum Chriſtiani nominis immaniſſimum hoſtem ſuſcipiendũ ſit. Niſi fortè Romanæ olim matronæ omnem ſuum mundum muliebrem ad ſumptus bellicos conferre non dubitarunt: at fuit dubium Folietæ an eccleſiaſtici illi viri, quos ampliſſimas opes & latifundia poſſidere ait, aliquã tantis ſuis opibus opẽ regibus ſuis ferre vellent. Cæterùm, quod inexhauſtos regis Turcarum theſauros vocaui, ita me non in mea ſed in Folietæ

perſona,vel alius cuiuſpiã ex illis magnitudinis imperij Turcici præconibus, loquutum eſſe, non dubito quin animaduerteritis. Nihil enim minus quàm hoc de illis dici poſſe,cùm ex aliis,tum ex clariſſ. & ornatiſſ viro Buſbequio (cuius & antea mentionẽ feci) de illius reditibus exactè ratiocinante,didici. Et verò ne ipſæ quidem hiſtoriæ credere illud ſinunt. Nam in iis ipſos etiam Genitzaros apud ſuum principem querentes audimus,regni ærarium frigere, & egeſtatem publicam oriri, ob quarundam prouinciarum prouentus theſauris publicis nõ illatos. Sed poteſt ille rex (dicet quiſpiam) deficientibus prouinciæ alicuius, aut aliquarum prouinciarũ, prouentibus, defectum hũc exactione in aliis duplicata ſupplere. Quid? itáne poteſt qui quempiam nudauit, ei nudo veſtimenta iterum detrahere? Verum manere ſcitis vbiq; illud noſtratibus quoq; vernaculum prouerbiũ, Vbi nihil eſt, ibi rex iure ſuo excidit. Quòd ſi regem itidem Turcarum iu-

re ſuo excidere oportet vbi nihil eſt, quanto iuſtius addititia ſuũ ad ius petitione excidet? Niſi fortè quiſpiam, Folietæ ſimilis, magnitudinis imperij Turcici præco, tantam eſſe hãc dicet, vt quos in ſua ditione pauperes populos habet, diuites valeat reddere. Sed, vt fingat quis, rei tam magnæ magnitudinem illam eſſe capacem, tempore ſaltem, eóque non exiguo, opus eſſet: interim verò quid fieret ærario quod frigeret? O quàm procul hic à Chriſtianis abeſſe poſſet metus, ſi vnanimi principes noſtri cõſenſu, poſt illos etiam ſumptus de quibus Folieta queritur (& de quorũ nonnullis querendi nullam ab eis materiam præberi ſatius multo eſſet) per communes ſymbolas, rei familiari non incommodas (id eſt, quæ eius rationes non turbarent) magnitudinem ditionis Chriſtianæ magnitudini imperij Turcici opponere, ſicut poſſent, ita etiam vellent. Iam verò, vt aliquid de variis etiam opificiis dicam, quæ nec habere nec curare Turcas, innuere Folieta vi-

ta videtur: quum duo in his reprehendat, & magnas quæ in illa fiunt impenſas, & quòd interim Chriſtianorũ ſtudia in illa ita diſtrahantur, vt perexigua pars bellicis ſtudiis poſſit vacare: duo itidem reſpondebo: etiamſi plura ſint quæ reſpondeam. Vnum eſt, multas interim vrbes artificibus frequentari, quos, maxima ex parte, ipſe etiam Mars, ſiquando illum earũ propugnatorem eſſe oporteat, ſuæ bellicæ artis artifices haud illibenter habiturus ſit. (atque hoc de illis præſertim veriſimile fuerit, qui aliquod armorũ genus fabricantur: quos ſaltem exceptos à Folieta non fuiſſe miror.) Alterum, non iam multum illis bellicis ſtudiis vacandũ eſſe, vt olim, quum nondum & machinæ & machinulæ igniuomæ inuentæ forent. Quibus machinulis qui vtuntur, non ignoro à quibuſdam ſclopetarios vocari, tanquã illæ fictitio nomine ſclopeti appellari poſſint.

Paulo autẽ ante quàm ad Chriſtianorũ ſtudia veniret, in varias res diſ-

tracta,nominatímq; in opificia: Turcas omnia in bellicos vſus inſumere dixerat,omnéſque opes ac præmia apud illos viris militarib⁹ cedere: quũ hi ſoli apud illos ſint in honore: at Chriſtianæ militiæ exigua præmia eſſe propoſita. Cui eius ſermoni quum haud queam ſatis recẽtia Gallicæ militiæ exempla opponere (quum ciuilia bella tam diuturna, inter alias con ſuetudines,ad diſciplinam militarem ſpectantes, hanc etiam non tam amit tendi quàm intermittendi cauſam præbuerint) Hiſpanicæ militiæ ſatis recentia exempla opponam.

A' prẹmiis verò ad pœnas,quarum & antea mentionem fecerat,reuertitur,quum illarum metus ad continen dam tam ciuilem quàm militarẽ diſciplinam valeat: & apud nos quidem æquè atque apud Turcas eſſe conſtitutas haud negat:verùm nõ in decreto legum ſed in obſeruatione ſanctita tem poſitam eſſe ait: quum tamẽ nos legum ſeueritatem aut eloquentia vafriſque patronorum atque oratorum

commentis vitemus, aut gratia infle-ctamus, aut potentia perfringamus: apud Turcas contrà nullã eſſe aut pœnæ deprecandæ viam, aut pœnæ ſubterfugiendæ ſpem. Atque hinc fieri vt apud nos omnia corrupta & ſoluta ſint, ſummáque ſit omnium rerum licentia, omniáque pro animi libidine adminiſtrentur: militéſque pœnę metu liberi res omnes ſolutè & negligenter agant, omnia rixis & ſeditionibus miſceant. Atque hæc dixiſſe non contentus, addit, Neq; dicto audientes ſint: verbis tantùm feroces, factis ignaui: productiq; in aciem prelium vix initum turpiter omittant: ac primis ordinibus leuiter impulſis, omnes ſeſe, ne tentata quidem pugna, in fœdam & effuſam fugam coniiciant.

Hæc ille: ego verò fateor quidem, (quum & alij teſtẽtur) & pœnas apud Turcas quàm apud Chriſtianos grauiores eſſe, & leges illic multo rigidiꝰ quàm hîc, omnes fere ex æquo illis ſubmittere: ſed ad imperij magnitudinem æquè pœnarum ſeueritatẽ aç

præmiorum liberalitatẽ nego facere. Etenim (vt omittam, non minus ad ciuilem quàm ad militarem diſciplinã vtrunque illorum pertinere) clementia, quæ illarũ ſeueritati & multò etiã magis ſæuitiæ repugnat, principes amorem ſuorũ ſibi conciliare ſcimus: qui ipſorum animis ſecuritatem, imperio firmitatem ac plerunque incrementum affert. Cætera, quæ ibidẽ in Chriſtianos Folieta declamat, ita mihi ſtomachũ mouent, vt ad ea non libenter reuertar, ſed minus libenter reſponſo carere patiar. Nam quid fœdius vnquam de ignauiſſimis dictum mancipiis fuit, vel dici poteſt, quàm quod de Chriſtianorum vniuerſitate ſcribit? Equidem, quum in oculos meos prius illa verba quàm præcedentia, incurriſſent, *in aciémque producti, prelium vix initum turpiter omittant: ac, primis ordinibus leuiter impulſis, omnes ſeſe, ne tentata quidem pugna, in fœdam & effuſam fugam coniiciant:* mirabar de quo hominum genere loqueretur: ac, de quibuſcunque hominibus ſermo illi

eſſet, de perculſis panico terrore lo-qui eum ſuſpicabar: at quum ad præcedentia acceſſi, multo magis quàm antea mirari cœpi. Quum enim in huius loci principio diceret, *apud nos*, negari non poterat quin vel de ſuis tantùm Italis vel de vniuerſis Chriſtianis intelligi hoc vellet: de his autem omnibus, non de illis ſolùm, agi, alia quędam oſtendebant. Cogitandum itaque vobis relinquo an̄ de quodā Chriſtianorum genere, vobis omnibus, nō minus quàm mihi, inaudito, loqui dicendus ſit: quum alioqui eò veniendum ſit vt dicatur, ea quæ vulgo Turcarum, facta etiam quotidianis exemplis fide, obiici poſſunt, Chriſtianis obiicere. Mancipiorum enim magis quàm noſtrorum ingeniis conuenientia deſcribit: dum per oratorias auxeſes & hyperbolas magnitudinē Turcicæ ditionis magis ac magis adſtruere, at per cōtraria noſtram (quidni enim magnitudo & Chriſtianicæ ditioni tribuatur?) deſtruere conatur.

Bene igitur ſe res habet quòd tum

reſpondēdi finem feci, quũ iam mens mea pertęſa eſſe linguę inciperet, quã Turcæ tam libenter quàm Chriſtiani illibenter (ad pleraque certè quod attinet) audient. Non ignoro autē, multa eſſe alia quæ illi reſponderi poſſint: nec dubito quin ea omnia vobis (quę veſtra eſt ſagacitas) alia aliis, in mentē ventura ſint. Quædam certè ipſe conſultò, vt omnibus nota, prætermiſi. Exempli gratiâ, quotuſquiſque erit, ex nō illiteratis præſertim, cui, audiēti de Turcis quod ſcribit Folieta, nihil apud illos eſſe in quo legis violatæ, aut negligēter obſeruatę, ſit offenſio: non poſſit in mentem venire ſtatim illa obiectio, multos tamen eſſe q contra legem vini potum ſibi permittant? Neque verò ſine quorundam è ſuis maioribus autoritate id ſibi permittere dici poſſunt. nam, vt de aliis taceam, Baiaſitem vtrunque ſibi vini potum conceſſiſſe, hiſtoriæ teſtantur. Nam de poſteriore legimꝰ, eum, quũ Vezires & conſiliarios, cum pręcipuis ſuorũ, & cum Agalaris, ſiue tribunis,

ad cœnam inuitaſſet, vinum illis propinaſſe,& conuiuium in mediam noctem continuaſſe. Itidémque de priore, ipſum hanc ſibi veniam dediſſe, hiſtoriis proditũ eſt: ſed ita vt hoc etiã (ſiquid hoc ad eum excuſandum valet) ſcribatur, antequam Vulci filia ei nupſiſſet, ignoraſſe quidnam eſſet vinum bibere, quid, ſumptuoſa conuiuia celebrare, quid denique genio indulgere. Erat autem hæc, Lazari Vulci, Zirforum deſpotæ, ſiue principis, filia. Verùm, vt quis non vltra ipſum lucubrationis Folietę titulum progrediatur, ibi certè quiddam leget cui ſtatim quod opponere poſſit ſuccurret. Nam quis his verbis, Felicitatis Tvrcarvm In Bellis Perpetvæ, illam ipſam Venetorum & fœderatorum principum de Turcis victoriam, à cuius mentione ſuum ipſemet ſcriptum inchoat, (vt de aliis taceam) nõ opponet? Quòd ſi non minus negare velim, frequẽtiſſimos fuiſſe Turcarũ ſucceſſus, quàm nego fuiſſe perpetuos, à meis partibus ſtare veritas

haud poterit. Sed erit profectò quòd miremur Chriſtiani nō multo etiam frequentiores maioréſque fuiſſe Turcarum ſucceſſus, ſi vna quidem à parte iuſtam dei iram, plurimis plurimorum ſceleribus offenſi, meritóque infenſi, ante oculos nobis ponamus: & quam digni fuerint qui iuſto dei iudicio ob illa damnati, in talium carnificum manus & ipſi venirēt: parte autem ab altera perpendamus, quoties Turcarum irruptionibus omnes propemodum portas ſuas principes quidam aperuerint, inteſtina non ſolùm odia ſed etiam bella exercendo, ſuáſque vires (quas vtrique conuertere in externos illos hoſtes debuerant) debilitādo: aut quamuis aliam ob cauſam rempubl. Chriſtianam ſuis ipſorum præſidiis deſtituendo. A meis igitur ſtabit partibus veritas, vt ſpero, ſi hoc ſaltem dixero: quorundam è principibus Chriſtianis neglectum reipubl. Chriſtianæ (præcipuéque ex eorum numero qui nondum ardere proximum parietem viderent, ſed ſe pro-

cul adhuc ab incendio abeſſe cogitarent: multorum etiam inter ſe diſcordiam hos illis ſucceſſus, vel inſperatos, magna ex parte, dediſſe. Nam quum Chriſtiani non vno malo laboremus, quod fundi noſtri calamitas dici queat, diſcordiam præſertim noſtram ita vocandam eſſe arbitror. Ac teſtes aduoco illos ipſos hoſtes noſtros, qui deum dies noctéſque precãtur vt Gauros (ita Chriſtianos appellant) inter ſe diſcordes perpetuo eſſe velit. Sed vota noſtra votis illorum opponenda ſunt, vt aliquando tandem, nos miſeratus, diſcordes eſſe nolit.

AD AVGVSTISS. CÆS. RODOLPHVM II, ET REVERENDISS. AC Illuſtriſs. electores, cæteróſq; princ. & ordines ſacri Rom. imperij, Ratiſbonæ conuentum habentes,

ORATIO H. STEPHANI, *qua eos ad expeditionem in Turcas fortiter & conſtanter perſequendam hortatur.*

QVORVNDAM ex iis quæ in conuentibus, ſeu conciliis, in deliberationem veniunt, vtilitas potiſſimum non cõſideratur tantùm, ſed ſumptis ex prudentiæ promptuario libramẽtis ponderatur: ac, ſi difficultas & magnitudo rei prępõderare vtilitati videatur, ea vel minimè vel alio tempore ſuſcipienda iudicatur. Sed quũ de iis agitur quæ ratio ac vel ipſe ſenſus communis non

vtilia ſolùm ſed ſalutaria atque adeo neceſſaria eſſe dictat, & quæ res ipſa ne differẽda quidem eſſe clamat: tum verò in conciliis conſiliũ de perrumpendis omnium difficultatum obſtaculis, & de nodo qui, nõ magis quàm Gordianus ille, ſolui poteſt, abſcindẽdo, initur. Quòd ſi deus opt. max. interuenire aliqua voluerit quæ ad amoliendum illa obſtacula, aut quampiã ſaltem eorum partem, viam patefaciant: tum verò ad illam inſiſtendam promptos paratóſque non eſſe, quid eſſet aliud quàm ſibimetipſis deeſſe? At hoc tamen (quod pace veſtra dictũ ſit) de vobis, & quidẽ in vos, iactari poſſet, ſi quas ipsũ numẽ vobis nũc offert ita cum veteri hoſte bellandi occaſiones, vt magna eius debellandi ſpes affulgeat, velut è manibus veſtris elabi ſinatis. Præſertim verò, quum nullum eſſe bellum queat, quod magis iuſtũ, quod magis Germaniæ præcipuè veſtræ neceſſariũ vocari, quod magis non pro focis tantùm ſed pro aris etiam geri, ideóque magis rationi

conſentaneo titulo ſacrum appellari poſſit. Atenim quidam obſtrepũt, tantam eſſe imperij Turcici magnitudinem, tantos hactenus fuiſſe illorũ, perpetua quadam ſerie, & velut vno tenore, ſucceſſus, vt hanc gentem bello aggredi, non aliud eſſe quàm crabrones irritare, videatur. Sed illã magnitudinem abeſſe multũ ab ea quæ prædicatur, nec ita ſucceſſus Turcarum fuiſſe perpetua ſerie cõtinuatos: atque hos diuinæ in Chriſtianos iræ potius quàm Turcicæ potẽtiæ adſcribi debere, antea demonſtratum fuit.

Quoniã tamẽ multos eſſe credibile eſt, quorum ex animis non tam facilè opinio illa euelli poſſit, eſto (nũc quidem) tantam eam eſſe quantam illi prædicant: quid? an priſcam illam imperij Perſici magnitudinem ſuperare dici poterit? Immo ne ſummi quidẽ illi potentiæ Turcicæ buccinatores hanc cum illa poſſe cõparari, eloqui audebunt. At vix dici tamen poteſt quanto illa Perſica, opinione de ipſa concepta inferior aliquando tandem

comperta fuerit. Fuit enim hæc quondam non modò barbarorum ſed Græcorum quoque opinio, reges Perſarũ, ob potentiam & vires atque opes immenſas, tam inſuperabiles quàm formidabiles eſſe: adeo vt ſiquis eorũ in Græciam irrumpere in animum induxiſſet, de ea vniuerſa actum fore omnes exiſtimarent. Hæc opinio quum in mentibus plurimorum radices egiſſet, plus Græcis quàm omnes tantorũ hoſtium vires detrimẽti attulit. Quũ enim illis reſiſti non poſſe, quum illos non tantùm inuictos eſſe, ſed etiã victoriam aduerſum omnes quaſi in ſua poteſtate habere ſibi perſuaderent, tantum abeſt vt de eo coniunctis viribus aggrediendo cogitare auderent, vt præclarè ſecum agi arbitrarẽtur ſi eum nulla in re offendentes, nullam ſe inuadendi occaſionem præberent. Nihil minus ergo quam de ferẽdo vicinis, in quos irruebat, auxilio, cogitabant: etiamſi illis oppreſſis ſtare ſe nõ poſſe haud ignorabant. Hinc certè factũ eſt (adeo nõ minus aliquãdo pni-

ciofus eſt nimius met⁹quã nimia ſecuritas) vt reges Perſarũ, quibus ex tanto aliorum metu creuerant animi, in Græciam vniuerſam ſibi viam, ſine vllo obſtaculo ac pro libidine, non aperirent tantùm ſed etiam munirent. Nam per ruinas eorum quos armis ſuperauerant, aditum ſibi in mediam Græciam patefaciebant. Quid hoc Græciæ ſtatu dici poteſt miſerabilius? immò quis, vbi hæc audiuerit, multo magis miſerabilia non exſpectet? Sed contrà nimij illius Græcorum metus correctrix tandem fuit neceſſitas: & rebus ad ſummum diſcrimen adductis, viæ qua illud propulſaretur, inuẽtrix eadem illa fuit. Impetrauit enim hæc ab eis quod impetrare ratio non potuerat, vt conſiderarẽt, aut ſibi, tot aliorum exemplo, colla iugo Perſico eſſe ſubiicienda, aut totis viribus, iiſque conſociatis, hoſti potentiſſimo eſſe reſiſtendum. Ac non multo pòſt res ipſa docuit, potentiã nullam eſſe tantam vt aduerſus inuictam virtutẽ, licet viribus longè inferiorem, inui-

cta manere poſſit: nec tam corporis quàm animi robore res præclaras geri. Nam quum illius Perſarum regis in Græciã expeditio talis eſſet, vt non ſolùm tantæ tanti regis potentiæ reſpondere, ſed omnium pene mortalium exſpectationem ſuperare videretur: (tantam enim militum multitudinem ſecum adduxit, vt qui infinitum illum numerum intuerentur, nihil à Græcis vel excogitari poſſe, nedũ præſtari, exiſtimarent, quò prohiberent ne copiæ illæ quæ flumina exſiccaſſent, & maria nauigiis cõſtrauiſſent, ac montes perfoſſos ad valliũ humilitatem propemodum redegiſſent, totam Græciam longè latéq; inundarent) ecce, ei tam paruis Græcorum copiis, quàm magnæ eius erãt, non ſolùm reſiſtitur, ſed exercitu tam horrendam cladẽ, quàm horrori Græcis initio fuerat, paſſo, turpiter fugatur: immo ægrè fuga turpiſſima elabitur. In cauſa hoc fuit, ꝙ Græci, quanto copiis erant inferiores, tanto ſuperiores conatibus fortiſſimis eſſe oporter

tere videbant: atque ita poſteritati omni huius rei documenta dabant, nõ tam pugnantium innumerabili multitudine, quàm animorum inſuperabili ardore ac robore victorias obtineri. Neque verò per eoſdem milites, creſcente in illorum animis eo ardore, eo vigore ac robore, ſtetiſſet quominus ille rex cum omni imperio Perſico funditus euerteretur, ſi coniuncti & vnanimes tam pręclarum victorię curſum perſequuti fuiſſent: ſed mox exitialibus factionibus diſtracti, arma quæ cõuertere in hoſtem illum debebant, in ſuam perniciem conuerterunt: ac diſcordia ſua eò tandẽ redacti ſunt, vt vix vllus eſſet tam infirmus exercitus qui ſibi prędam aliquam ab illis polliceri nõ auderet. Verùm nos illam tam memorabilem quàm admirabilem victoriam, non quæ illam ſequuta ſunt, conſiderare oportet, atq; ita apud nos rationem inire: Si illi qui generoſo tantùm animi impetu ferebantur, & laudis ac gloriæ ſtudio potiſſimum ad res fortiter gerendas im-

pellebantur, tanta victoria potiri tam exiguis viribus potuerunt: quid eſt quod fortiſſimi milites Chriſtiani CHRISTO duce effecturos ſe non ſperent? Dixit è profanis Latinorum poetis quidam,

Nil deſperandum Teucro duce & auſpice Teucro:

quanto iuſtius, quanto verius (ſi tamē illud alterum vllo verum modo dici queat) à Chriſtianis, verſu profano in ſacrum, parua cum mutatione, conuerſo, hoc dicetur?

NIL DESPERANDVM CHRISTO DVCE ET AVSPICE CHRISTO.

Quòd ſi hoc de ope Chriſti aduerſus hunc etiam hoſtē vires paruas maximis ſuperiores reddente, perſuaſum nobis eſſe oporteret, quamuis nullū exemplum præcederet: quanto magis, quum tot exſtare nobis exempla voluerit? Vt enim procul ab ea in qua conuentum habetis vrbe mentes veſtras non abducam, annus hic ſexageſimus & quintus agitur, ex quo Sulimanus, tot populorū atque regnorū

victor, trecẽtis hominum millibus (vt quædam teſtantur hiſtoriæ) Viennam obſedit, & nihil neque per cuniculos neque per machinas igniuomas intẽtatum reliquit: ſed innumeris harum ictibus eius mœnia & propugnacula longè latéque proſtrauit: atq. ita proſtrauit vt ab omni propemodum parte amplus in vrbẽ aditus pateret. Sed quid ille per viginti dies ſuis viginti & octo inſultibus (tantis quantos tantarum copiarum eſſe inſultus neceſſe eſt) profecit? Tunc præſidiarij milites, quamuis illos vigintiocto inſultus alióſque impetus varios ſuſtinuiſſent, non fatiſcere, ſed inter dirutorũ mœnium rudera ſtare, ibíque corpora ſua omnibus omnium telorum periculis obiicere: quinetiam (vt audiatis quod multo magis miremini) in Turcas penè infinitos, quũ pauci eſſent ipſi, non miſſilia ſolùm ſed conuitia etiam iacere, fœdiſſimam ipſis ignauiam exprobrantes: & aliis quibuſcunque poterant modis laceſſere, vt ad certamen tandem prouocarent. Nam vt pro-

pius accedentes, manus iterum conſererent, (poſt illos viginti & octo inſultus, quibus ipſa etiam mœnia impetierant,) nullis ne ipſius quidem imperatoris increpationibus, nullo intentatæ etiam mortis terrore adduci poterant: tantum abeſt vt noſtrorum laceſſentiũ conuitiis & opprobriis mouerentur. Adeo ferrum Germanorũ & virtutem pertimeſcebãt, quam tot ſuorum plus ſatis expertos eſſe videbãt. Quid hîc ille rex qui inuictus exiſtimabatur? conterritus exemplo inopinatæ & tam verè inuictę fortitudinis quàm falsò inuictus ipſe ob tantũ exercitum putabatur, eóque ipſo conſternatus quòd milites Germanos minimè conſternatos eſſe videret, obſidionem nulla amplius re tentata ſoluit: ſed nonniſi magnis cladibus acceptis ſe intra fines ſuos recipere potuit. Etſi vero poſtea idem imperator, non ſolùm multo maiori quàm antea & animo & ſpe, ſed etiam apparatu ac robore, ad eiuſdem vrbis obſidionem reuerſus eſt, vt quam ex priori expe-

ditione cõtraxiſſet indelebilem propemodum ignominiæ maculam largo Chriſtianorum ſanguine elueret: irrito tamen conatu maculam ſibi potius duplicauit: ſuo interim exemplo omnibus oſtendẽs, Turcicam potentiam vana hominum opinione, non reipſa, inſuperabilem eſſe. Ac, quantacunque erat, tunc funditus euerſa proculdubio fuiſſet, ſi communi Chriſtianorum conſenſu ad perſequendũ adeo felix & glorioſum inceptum neceſſaria præuiſa & prouiſa fuiſſent.

Alia, quæ de aliis Turcarum aduerſus hanc vrbem irritis conatibus dici poſſent, miſſa faciẽs, & pauca tantùm è multis exempla addere ſuperiori volens, ad bellum quod Cyprium vocatum fuit, tranſeo. Nam quis ex hoc etiam bello perſpicere non potuit q̃ vanus ſit ille de tanta Turçarum potentia rumor? præſertim ſi ſuas aduerſus illũ vires Chriſtiani principes conſociare velint? Nam quòd Vbertus Folieta hinc etiam argumentum infinitæ propemodum Turcarum poten

tiæ capit, quòd illi ingenti claſſe dele-
ta, maximóque roſtratarum nauium
numero partim depreſſo, partim à no
ſtris capto, quinetiam magna vi belli-
corum inſtrumẽtorum vndis hauſta:
denique haud exigua parte fortiũ bel
latorum ac nõ obſcuri nominis ducũ,
virorúmque naualis rei peritorũ, pre-
lio abſumpta, interiecto breui tempo
ris ſpatio alteram haud multo mino-
rem compararit: nequaquam ei de il-
lo argumẽto inde ſumendo aſſentior:
niſi & ſecundum prelium, in quo ali-
quam ſaltem damnorum partem ſar-
ciuerit, & illam è tanta clade contra-
ctam labem aliqua ex parte abſterſe-
rit, ſequutum eſſe oſtendat. Sed oſten
dere rẽ quomodo poteſt quę facta nõ
fuit? Immo feciſſe illum Turcarũ im
peratorem dicere poſſumus quod in
ſummum eius dedecus cedit. Quale
enim hoc fuit, ingenti claſſe iterum
adornata, ac è populis Chriſtianis, q
victores exſtiterãt, nõnullis eã ſecurè
ſpectãtibus, ne vnum quidem eorum
aggredi auſum eſſe, quamuis, malo

quodã ſuo fato, diſſociati eſſent? Quis magnæ ex magna conſternatione cõtractæ ignauiæ apertius ac certius afferre teſtimonium poteſt? I nunc Vberte Folieta, & in illo tuo argumento maximum ad id quod probare conaris præſidium pone. Sed à Folieta ad vos reuertens, iſtud hîc dignum eſſe quod à vobis conſideretur, dico: barbaros principes tam repẽtina mutatione in rebus aduerſis animos abiicere, quàm repente maiores è rebus ſecundis animos ſumunt. At Romani contrà in rebus aduerſis (ſi Polybio credimus) maiores gerebant. Niſi fortè gerere videbantur, dicere voluit. Cæterùm non dubium eſt quin Turcarum multis è ſucceſſibus inſolentia minus plerunque prouidos reddat, & vt ſępenumero ſpe fruſtrentur faciat. Atq; hoc Selimo accidiſſe in Hungaria videmus, qui illã vno ſe quaſi hiatu abſorpturum ſibi perſuaſerat. Verùm cur non potius à vobis petam vt ad veſtras de hoc ipſo Turcarum imperatore nuperas victorias, mẽtes cõ-

uertatis, quum vos ad continuandum illarum victoriarum curſum hortaturus veniam?

ABSIT autẽ vt illa eius, cuius paulo etiã ante memini, Turcicæ potentiæ præconia, & quæ ab eo decantantur de rerum Turcicarum ſtatu, tanquam omnia quę ad firmitatem imperij requiruntur, habente, plus fidei apud vos mereantur quàm quæ ab ipſis hiſtoricis & ab oculatis teſtibus referuntur. Nam, vt ab ipſo capite, ſicut rationi conſentaneum eſt, initium ſumam (ſcitis enim verè dici, dolẽte capite cętera etiam membra dolere) vix principem à ſuis maioribus magis degenerem optare poſſitis. Deſes enim atque ignauus inter mulierculàrum greges iacet: (valde ſcilicet vel animi vel corporis bonis commendabilis: quum, inter alia, & tardo ac modo nõ ſtupido ſit ingenio, & epilepſia laboret) nec quidquam ſuo conſilio agit, ſed peruerſorum miniſtrorum conſiliis, quibus plurima peruertũtur, ſummam rerum ac ſeipſum etiam cõmit-

tit. Facit autem illa deſidia & ignauia vt credibile ſit quod de illo fertur, ad bellum nunquã eſſe egreſſum: quum tamen longè aliam de ſe ſpem dare patri Selimo volens, ab illo multis ſæpe precibus contendiſſet, vt expeditionem aduerſus Viennã ipſi integram ſeruaret. Nam ſuperſtitioſis quibuſdam vaticiniis, more gentis, nimium tribuens, ſibi perſuaſerat, ſe nõ Hungariæ modò ſed Germaniæ etiã regem fore. (ſolent enim imperatores Turcici, regnum ineuntes, concepta quadam verborum quaſi formula promittere, ſe omnes conatus & vires ſuas ad regionem aliquã Chriſtianis eripiendã collaturos) Sed ne in Hungaria quidem ea tentaſſet quæ initio tentare auſus eſt, niſi amentia illũ ſua eò adduxiſſet, vt crederet, ſe omnia ibi imparata & ad omnem iniuriã opportuna pro voto eſſe inuenturũ. Tãtum abeſt vt ad vlciſcendas clades patris in aciẽ prodire velit. Sed ne huic quidem tantum animi fuit, vt eas, occaſione etiam ac commoditate ſe of-

ferente, vlciſceretur. Quum enim, vt antea dixi, claſſe amiſſa in bello Cyprio, aliã emiſiſſet, nihil minus quàm illos à quibus tantam cladem acceperat, aggredi auſus eſt (etiamſi ſolutam eſſe Chriſtianicam illam ſocietatem ſciret, ideóque non iam cum multis hoſtibus, ſed cum vno, eóque imbecillo, rem ſibi futuram intelligeret) tanquam in lucro maximo deputans ꝙ ſibi à bello poſſe quieſcere contingeret. Verùm, vt à patre ad filium patriſſantem, vel potius pluſquam patriſſantem (id eſt, multo etiam peius ſe gerentem, quam, ſola patris vitia imitando, ſe gerere dici poſſet) non peruerſorum tantùm miniſtrorum ſed earũ etiam quas dixi muliercularum, ſuarum, magna ex parte, concubinarũ, cõſiliis aurem illum præbere, cùm ex aliis multis, tum ex reſtitutione Sinanis apparet, non baſſæ tantùm, ſed archibaſſæ. Quin enim quarundam ex illis & conſilio & fauore fuerit reſtitutus, nemo eſt qui dubitet. Sed quid reſtitutus dico? nõ ille ſibi, id eſt ſuis ho-

noribus priſtinis, reſtitutus fuit, ſed potius quidam multo maior Sinan in locum illius ſubſtitutus videri poteſt. Illi enim, reuocato ab exilio, dignitatem multis quàm antea partibus maiorem fuiſſe tributam conſtat: immo etiam multo quàm imperij Turcici conſuetudo ferret maiorem. Siquis tamen huic Sinani, in tam altũ dignitatis gradum euecto, ſuperbiã & crudelitatem (vt fama fert) adimat, nihil quo barbarus ille commendari poſſit relinquat. Nec dubium eſt quin ipſe imperator, quum à bello Perſico quondam eum reuocauit, vbi primarium locum tenebat, & munere ſummi baſſæ priuauit, de ingenio eius minus ad rerum ſummam adminiſtrandam idoneo admonitus fuerit. Quid ꝙ hic Sinan fertur etiã filio huius imperatoris inſidias regno paterno ſtruenti operã præſtitiſſe? ac ne hoc quidem ipſe imperator dicitur ignoraſſe? Ad hanc igitur talis viri reſtitutionem tria concurriſſe veriſimile eſt, in quorum vnoquoque imperij Turcici

ſtatum noſtris progreſſibus accõmodatum cernere poſſumus: primùm, ipſius principis amentiam: deinde, maximam omninóq; nimiam apud eum illarum muliercularum autoritatem, & quæ gynæcocratica vocari poſſit: poſtremò, magnam virorũ ad res gerendas idoneorum penuriam. Hanc eo min⁹ mirabimur, quo magis quàm multos huiuſmodi tot bellis ipſe quoque amiſerit, conſiderabimus. Nec verò abs re mentionem illius quoque nimiæ concubinarum autoritatis feci: quum maximi eam momenti hoc in negotio fuiſſe credibile ſit, & in imperio hanc muliebrem autoritatem, quæcunque ſit earum mulierũ dignitas, ſummæ rerum plerunque perniciosam eſſe conſtet: præſertim ſi modum excedat. Alioqui & maiores eius quoſdam carcere liberaſſe, quoſdam ab exilio reuocaſſe, nec tam difficiles ad pœnas tandem remittendas ſe præbuiſſe quàm clamat Folieta, etiam hiſtoriæ docent: cùm aliorum, tum cuiuſdam Turchanis begi exem-

plo:ſed muliebrem autoritatem ſolitam interuenire, ex iiſdẽ, quod quidẽ ſciam, haud diſcimus.. Potiſſima autem quum ſit fœminarum præſertim autoritas (quomodo enim potiſſimà non ſit, quum princeps ſit earũ velut mancipium?) ad honores & dignitates non ſolùm reſtituendas, ſed conferendas etiam vel auferendas, hinc illæ non crebrę minus quàm periculoſæ præfectorum (& quidem interdum etiam ſummorũ) mutationes: quum illarum in hos vel illos amor aut odiũ rationis loco ſit. Quum autem concilietur hic amor cùm aliis artibus, tum vel maximè muneribus, hinc fit vt multi, ne vnquam à donis ſint imparati, tantum partim furentur, partim apertè rapiant, quantum non ſibi ſolummodo & ſuis, ſed corrumpendis etiam aulæ Turcicæ proceribus, (quibus & illas fœminas annumerarem, ſi mihi per linguam Latinã liceret) ſufficere poſſe arbitrantur. Atque hinc euenire ſæpe neceſſe eſt, vt illis qui nullis reipubl. gubernãdæ artibus in-

ſtructi ſunt, gubernacula tradantur, contrà autem, huius adminiſtrationis periti, & in eum honorem euecti, inde præcipites agãtur. Quemadmodum autem hi baſſæ, ſeu præfecti, inſanis largitionibus aliorum quidẽ gratiam & fauorem redimere, aliorũ autem odiis & inſidiis remedium adhibere cogũtur: ita, quibus aliquid cum his præfectis, aut alio munere fungentibus, negotij eſt, illis nunquã vacuos loculos & prõptas ſemper ad largiendum manus eſſe neceſſe eſt. Ac quum ita emptitij ſint illi etiam quibus iudices funguntur magiſtratus, quis miretur, ius & fas omne non in aula Turcica tantùm ſed in ipſis etiam iudiciis ciuilibus, nõ minus venalia eſſe quàm quæ in foro expoſita, certo pretio addicuntur? cui mirum ſit, adeò corrupta eſſe ipſa iudicia, vt nõ melior cauſa vincat, ſed litigator in iudices profuſior? At erũt forſitan Turcæ, qui quum non ignorent quid apud Chriſtianorum quoque nõnullos fiat, nos tam dolendi noſtro hac in parte ma-

lo, quàm gaudendi ſuò, materiam habere, obiecturi ſint. Cui obiectioni non valde quidem repugnabo: ſed illud ſaltem negabo atque pernegabo, malum noſtrum alio multo maiore, ſicut apud ipſos, cumulari. In illo enim regno, non tantùm vbi de fortunis agitur, largitiones valent & pollent, atque adeò regnant, ſed eò ventum eſt vt latrociniorum etiã, cædiũ, & grauiſſimorum quorumq; facinorum impunitas magnitudine largitionum redimatur.

ECCE, quàm verax Vbertus Folieta in iis quæ de imperij Turcici ſtatu (quẽ tantæ magnitudinis cauſam eſſe probare vult) fuiſſe dici poſſit. Atque vt alia non minus falſa de ſtatu illo partim ab eodẽ Folieta ſcribi, partim ab aliis & credi & dici cognoſcatis, meũ de ſtatu illius imperij ſermonem perſequar. Duo autem ad hoc alacriter faciendum me impellent: vnum, ꝙ vos, eo audito, tanto libentius veſtram in Turcas expeditionẽ perſequuturos itidem ſperem: alterum,

ꝙ non dubitem quin horum pleraq;, cùm aliis veſtrum nonnullis, tum præſertim tibi, Avgvstiss. Imperator, Rodolphe, ſint cognita, quædam & inter aulæ tuæ proceres peruagata: atque ita, me Pariſienſem, veracis titulo tam dignum eſſe comperturi ſitis, quàm Vbertus Folieta ſe Genuenſem illo indignum ſe oſtendit. Vt igitur mea ad illum imperij Turcici ſtatum regrediens oratio, ad eum pariter reuertatur qui huius imperij caput eſt; conſiderare vos velim quàm male non ſolùm incremento magnitudinis imperij ſui, ſed eius etiã q̃ à maioribus accepit, firmitati, quàm male ſuæ ſuorúmque ſecuritati ac tranquillitati cõſuluerit. Fuit hæc ſemper omnium, prudentiæ politicæ vel guttam habentiũ, & de Turcico imperio differentium (quod ſæpe vſu veniebat quum Venetiis agerẽ, ipſo etiam Turcarũ & Turcogræcorũ conſpectu occaſionem huius diſſertationis præbente) illius magnitudinem & firmitatem, ſi alius cuiuſquam, non

tam

tam in ditionis illius amplitudine & magnitudine, quàm in abſoluta quadam obediẽtia, conſiſtere. Atqui experientia multiplex teſtatur, eam omni ratione ſub hoc imperatore labefactam eſſe. Cuius mali culpa præcipuè quidem in illum, ſed in ipſos quoque populos cõfertur. Ille enim omnium artium imperitus quibus imperia aut quæruntur aut conſeruantur & augẽtur, veſtigiis maiorum ſuorũ relictis, in nouas quaſdã gubernandi vias à ſui ſimilibus, id eſt pariter imperitis, inductus (ſimúlq; ſeductus: ſi tamẽ ſeducere dicendi ſunt & illi qui in errorẽ, errantes & ipſi, inducunt) ampliſſimis reditibus contẽtus haud fuit: ſed, contra præcepta religionis Mahumetanæ, nouis tributorum exactionibus ſuos non onerare tantùm ſed grauare cœpit. Ac Iudæorum præcipuè conſilio eam ad rem vſus eſſe fertur: qui, dum conſiliũ illi malum darent, bene de orbe Chriſtiano per imprudentiã merebantur. Ita enim hæ nouæ exactiones animos populorum ab ipſo a-

lienauerunt,quem vt numẽ antea colere ſolebant, vt illi etiam milites, in quorum præcipuè cuſtodia præſidiũ ſuum imperatores Turcici collocãt, exitium ipſi minitarẽtur, cæteri vota ſua (quum aliud non poſſent) illorum conatibus adiungerent. Nec verò hoc vnum exemplo nouo, ſibíque valde damnoſo, & periculoſo etiam, facere auſus eſt: ſed nec monetam adulterare, atque adeo optimam in peſſimam cõmutare, dubitauit. Quum verò milites à mercatoribus illam reſpuentibus neceſſaria comparare nõ poſſent, & præterea menſes ipſis, quibus certa ſtipendia mererent, aliquot dierum acceſſione augerẽtur: poſtremò, quum illis etiam agris quos equites vel ſuo vel aliorum titulo poſſidẽt, tributa præter morẽ impoſita eſſent: intra breue temporis ſpatium ad magnos tumultus & periculoſas ſeditiones ſpectare omnia cœperunt: vt exitus ipſe oſtendit. Quoniam enim noua hæc inuenta, nouorum, & quidem grauium, malorum ſemina, duobus

potiſſimum imputabāt,ſummo equitum præfecto, ſiue ſupremo præfecto caſtrorum (vt alij vocem Begler-beg interpretantur: pro qua vulgus Belerbeium ſeu Bellerbeium dicit) & magno Turcici imperij quęſtori: ſeditione inualeſcēte, & cōcurſu ad ſepta regia (quæ ſeraium appellant) facto, ipſum imperatorem, quantumuis cum lacrymis deprecatorem ageret, & octingenta (plus minus) aureorū millia ꝓ illis numerare paratus eſſet, carnificis manibus tradere coegerunt, vt ante oculos omnium ciuiū Conſtantinopolitanorum capite plecterētur. Atque hac tanta, cum tanto principis ſui contemptu & modonō deriſu coniuncta, inſolentia & petulantia, non contenti, variis ipſius vrbis locis aliquoties ignem immiſerunt, vt prætextu reſtinguendi incendij, prædarum quas animo deſtinarāt, & iam ſpe deuorauerant, cōpotes fierent. Quid ꝙ, bello Perſico, in ipſis etiam caſtris Turcarum, nouæ illæ adulterādi monętam & maiora tributa exigendi ar-

tes,multorum cauſa tumultuum fuerunt? Quantorum verò? tantorum vt de his ſedandis,legatis ipſius imperatoris plus penè quàm de hoſte ipſo expugnando laborandum fuerit.

Eant nunc qui imperatoris Turcici theſauros,infinitos & inexhauſtos eſſe prædicant. Hæc quidem certè opinio (quòd pecunia nerui belli exiſtimentur)ad illius autoritatem ſtabiliendam plurimũ valuit: verùm quo magis nunc opinio illa eſſe vana comperitur,eo magis nõ imminui tantùm ſed euaneſcere iſta incipit autoritas. Multum autem eius prouentibus deceſſiſſe quidam exiſtimant ex cõmerciis inter Perſas & Turcas ſublatis, quæ erant frequentiſſima,& illi ad reditus augendos accommodatiſſima. Quinetiã, multis prouinciis hinc inde bello grauiter afflictis, non parua ſuorum ab illis redituum parte priuatus fuit: quum illa nuſquam fallax ſit regula,cuius antè mẽtio fuit facta, Vbi nihil eſt,regẽ iure ſuo excidere neceſſe eſt. His accedit,ꝙ propter præ-

fectorum prouinciarum tyrãnidem, & propter illa quæ extorquentur ab equitibus Turcicis, qui agros perpetui ſtipendij loco ſibi aſſignatos habent, agri plurimi inculti deſertíque iacent. Quum autem dico, Propter illa quæ extorquẽtur, ideo ita loquor, ꝙ equites illi penſionibus locationis pacto promiſſis minimè cõtenti ſint, vt quondã, ſed nouis exactionũ oneribus colonos grauent. Adiici his & illud fortaſſe poteſt, ꝙ ſuas opes profundit potius quàm diſpenſat: & in hunc ſolum, vel illum, indignum (vt in Sinanẽ quendã) ſaltẽ in paucos, tã multa confert, vt quod in multos dignos cõferat, haud ſuperſit. Ita enim iis vſuvenit qui iudicij expertes, quẽadmodum ille, (quid enim iudicij ineſſe plumbeo ingenio poſſit?) haud animaduertunt ſe non habituros vnde diu faciant quod libenter faciunt: & vnum, aut pauciſſimos, onũſtos, cęteros omnes, aut magis aut non minus ſaltẽ dignos, vacuos dimittendo, parum gratiæ, plurimum odij ſibi conci

liare. Sed vnde ſit hæc redituum Turcicorum imminutio, inquirant exactius ipſi Turcæ (ac videant etiam ne gynæconitidis magis quàm pro more voratrix ſit ingluuies) nobis hoc ſatis ſit, ad bene ſperandum, ſcire, illa imminuta eſſe: &, quocunque ſe res modo habeat, ærarium ſæpe frigere. Alioqui, quo œſtro percit⁹, ad illas quas audiſtis, non minus odioſas quàm nouas artes confugeret, vt alios ad ſoluendum inſolita & addititia tributa adigeret, tanquam eorũ exſugere ſanguinem volens: aliorum bona, quæ antè immunia, quodã priuilegio, fuiſſent, tributaria redderet? Multo etiã minus (vt veriſimile eſt) ad hoc tam ſordidũ artificiũ & hunc tam ſordidũ ex ſordido artificio quæſtũ (nam illa duo quæ commemoraui, violenta & tyrannica magis ſunt quàm ſordida) veniſſet, vt ex ſtipendiorum imminutione aliquas corradere ſummulas vellet. Hoc enim eſt ſtipendia artificioſè minúere, certo dierum menſis cuiuſque numero ſupernumerarios

dies adiicere: quũ potius certo nummorum in cuiuſque menſis ſtipendia, numero ſupernumerarij nummi adiiciendi eſſent. Sed quid de monetæ adulteratione dicendum eſt? nónne hîc ad artificium non tantùm multo ſordidius, ſed quod apud omnem poſteritatis memoriam multo magis infame futurum ſit, deſcendiſſe dici poteſt? Tantum certè abeſt vt cuiquam maiorum ipſius hãc rem in mentem veniſſe putem, vt paucos de ita augendo tributorũ onere vel cogitaſſe credibile ſit. Sed nullus fortaſſe magis hac ſe ſuſpicionẽ liberauit ꝙ Solimanus, huius auus: ad quem quum Neapolitanus quidam, ſpe ampliſſimorũ pręmiorum, veniſſet, eíque vias oſtenſurum ſe pollicitus eſſet quibus reditus ſuos duplicare poſſet, ídque haud ita magno populorum ſuorũ incommodo: non tantùm audire illũ noluit, ſed acerrimè etiam obiurgatum è cõſpectu ſuo faceſſere iuſſit: quòd diceret, illorum ſe contrà egere conſiliis, qui eorundem populorum onera mi-

nuerent, nedum iam nimium magna augerent. At noſtrum hunc ſiue Amurathem, ſiue Murathem, vſque ad hanc duplicationem venire voluiſſe nouis quibuſdam viis, ſordidis quidẽ illis, fertur: ſed tumultus & ſeditiones (quarũ iam initia viderat) eum à propoſito, magna ſaltem ex parte, abſterruerunt. Neque verò hoc abſque magna exiſtimationis eius imminutione fieri potuit.

ATENIM, quum verear ne, ſi diutius in harum huius Turcici imperatoris ſordium commemoratione aures veſtras detineam, eas offendam: & mihi perſuadeam, perſuaſum vobis eſſe, id quod de inexhauſtis illius theſauris iactatur, à veritate tam lõgè abeſſe quàm paupertas ab opulẽtia procul abeſt: aliò ſermonem conuertam, ſic tamen vt is ab eius perſona non recedat. Fateor (dicet quiſpiam) Amurathem hunc, Turcarum imperatorem, opulentiam à maioribus relictã imminuiſſe: fateor, artes quaſdã quibus vſus eſt, illi dãnoſas, ſed nego exi-

tioſas fuiſſe. Immo, poſt tot tumultus, tot ſeditiones, (quæ aliquem illi non ſolùm à ducibus ſed à militibus quoque metum reliquerunt) poſt aliquã etiã exiſtimationis & autoritatis deminutionem, tantum virium illi dico ſupereſſe quantũ ad magnas clades nobis inferendas requiratur.

Erit etiam fortaſſe qui addet, illum in hoc ſui imperij ſtatu, qualiſcunque eſt, auſum nuper eſſe quod vix vlli ante illum imperatores iiſdem in locis tentauerant. Quum enim alij in vicina vobis aut à vobis non valde remota Chriſtianicæ ditionis loca, potius ſpe prædæ feſtinanter arripiendæ, quàm pedem in illis figendi, irrumperẽt: hic contrà facere illud in animum induxerat, vt ſatis eius in Stiriam & Carinthiam irruptio, & caſtella atque oppida ibi Chriſtianis erepta teſtantur.

Quinetiã non defuturos puto qui, quod antea dixi, ipſummet ad bellum nõ egredi, haud magni referre dicãt: etiamſi alioqui illius maioribus vix quidquam fuerit antiquius, quàm, vt

bella quæ gerere decreuiſſent, eorum auſpiciis ſimul & ductu gererentur. Erunt denique fortaſſe qui illi obiectioni (niſi potius obiectiuncula vocari debet, quum multo q̃ aliæ minoris ſit momenti) opponi poſſe exiſtiment res præclarè aduerſum Perſas, ipſo licet longiſſimè remoto, geſtas.

Ad hæc me nõ malè reſponſurum arbitror, ſi dicam, verum quidem eſſe illud, ei ſatis virium ſupereſſe ad magnas clades nobis inferẽdas: ſed dummodo tam remiſſis ad illi reſiſtẽdum animis eſſe pergant Chriſtiani quàm fuere prius. Alioqui, vt nunc ſunt res, magis illis optabile eſſe debere, eum viribus ſuis confidentem, vel potius præfidentem, ad temeraria etiam auſa prorumpere, q̃ illis diffidentẽ quieſcere. Ac illam ipſam in Stiriam & Carinthiam irruptionẽ, & arcium ac oppidorum occupationem, temeritatis huius exemplum præbere aio. Quod enim tandẽ cognouerũt, id multo ante, & q dẽ priusq̃ tot dãna inferrẽt, cognouiſſent, ſi veſter ille ipſis formida-

bilis exercitus maturius ꝓdiiſſet. Sed quidnam illud eſt? ſibi multo magis conſultum futurum fuiſſe, ſi prędis, vt olim, feſtinãter arreptis, recęptui cecinifſent. Ad illud autem quod attinet, non magni referre in bellis gerendis, præſénſne ipſe an abſens ſit: ego contrà apud barbaros, & nominatim apud Turcas, (quorum multis inſitum eſt principem ſuum pro numine habere) magis q̃ apud Chriſtianos, verum cõperiri aio, *-vrget præſentia Turni*: & à nemine in dubiũ vocari poſſe quin ea quam dixi maiorum eius pręſentia ad magnitudinem & celeritatẽ victoriarum multum valuerit. Sed ꝙ nominatim res aduerſus Perſas præclarè, licet ipſo abſente, geſtę, mihi opponuntur: huic argumento ita occurro, vt dicam, etiamſi & ibi eius præſentia vrgere potuiſſet, tamen, ne in hac quidem multum adiumenti ad victoriam futurum fuiſſe, niſi fatales Perſarum diſcordiæ acceſſiſſent. Largus enim quem per ſuas diſcordias Perſæ effuderũt ſanguis, viam Turcis ad vi-

ctorias de illis patefecit: atque adeo illas ipſis quaſi in manus tradidit. Nam vel ex recentibus annalibus ſat vobis notum eſſe poteſt q̃ diſtractę atque diuulſæ horum Perſiæ regum familiæ, quantum inter ſe omni crudelitatis & immanitatis genere ſæuierint: vt parẽtes liberos & liberi parẽtes de ſolio deturbarint: fratres itẽ horrendis fratricidiis de regno decertarint. Hoc etiam diſcere inde potuiſtis, Perſas alioqui, quotieſcũq; vnanimes, quamuis longè inferiores viribus, cum Turcis congreſſi eſſent, toties propemodum inſigni illorum clade victoriam reportaſſe. Sed quum plerunque plus factionibus ſuis q̃ reipubl. tribuentes, domi tumultus excitarent, & alter alterum opprimere conaretur: aperta Turcis & munita via fuit ad caſtella eorum & ipſa etiam oppida occupanda: & tantis firmanda præſidiis, vt recuperare illa homines ad expugnationem locorum minus idonei haud potuerint. Iam vero & a proditoribus Perſis plurimũ Turcę adiuti ſunt:

ita vt his potius q̃ ſuæ virtuti ſucceſ-ſuum ſuorum pleroſque debeant. Horum igitur cõmemoratio vos non potentiæ Turcicæ, multo etiam minus virtutis, metuẽtiores, ſed in bello aduerſus eos gerendo reddere cautiores debent: vobis in mentem ſubinde veniente illo iam à multis ſeculis decantato verſu,

Felix quem faciunt aliena pericula cautum:

nec minus in mentem veniente iſto illi affini dicto,

—felix quicunq; dolore
Alterius diſces poſſe carere tuo.

Hæc enim monita quoties in memoriam ſimúlque illa Perſarum è ſuis diſcordiis tot mala venient, fieri non poterit quin diſcordiarum inter vos q̃ vllius Turcicæ potentiæ multo metuentiores ſitis. Nec vero deſunt alia tum vetera tum recentia exempla malorũ quæ diſcordiæ attulerunt (immo & afferunt dicere poſſum, ſi patriæ meæ recordari velim) ſed illud, ſicut magis accommodatum, ita etiam memoriæ veſtræ magis commẽdatum fore exi-

ſtimaui. Quòd ſi tamen, quanto Turcis conſtiterint quædã aduerſus Perſas victoriæ, cõſideretis, eas propemodum Cadmeas eſſe iudicabitis. Tantã enim ille veteranorum & optimorũ militũ iacturã fecit bello tam diuturno, aliiſq; modis ſui vires imperij debilitauit, vt ſint qui eam illa quam occupauit ditione vix compenſatam exiſtiment.

Sed veſtrum eſto hac de re iudiciũ: ego verò agnoſcendam interim vobis eſſe aio diuinæ in vos prouidentiæ benignitatem, cùm in alijs Turcarũ aduerſus alios, tum verò in illis aduerſus Perſas bellis: ꝙ vos eo potiſſimũ tempore ad conuertendum omne veſtrũ robur in hoſtes illos animauerit, quũ iam debilitati eſſent. Cur debilitati dico? quidni fractos dicere audeo? Si tamen eouſque progredi non conceditur, ſaltem pluſquam debilitatos dicere liceat. Quid enim magis debiles & infirmos reddere hoſtes veſtros poteſt, quàm ita corruptus imperij illorum ſtatus? hoc nanque iterum mihi

iterúmque vrgendum eſt: præſertim quum, in quamcunque eius me vertã partem, tanta in oculos meos corruptela eius incurrat, vt magis ac magis mirer qua fronte auſus ſit Folieta tot laudibus magnitudinem imperij huius extollere. Niſi fortè cũ illis Cumanis negotiũ ſibi fore putabat, qui pecus illud Arcadicum nunquam conſpicati erant, aut ſaltem nunquã rudi tum eius audiuerant. Militarem Turcarum diſciplinam nobis allegat, & in ea nullam inter nos & illos ſuſcipiendam eſſe comparationem ait: quũ illis ſumma, nobis ferme nulla ſit. Verùm hæc illis dicenda ſunt qui ita allucinantur vt, quod vmbra tantùm eſt, corpus eſſe videatur. Nunc enim non illam Turcicam diſciplinam militarem, ſed illius vmbram tantũmodo ſupereſſe dico. Nam ex quibus militibus (exempli gratia) Turcicæ militiæ robur conſtat magis quàm ex Genitzaris? at ecce, tantum abeſt vt ille ordo ſemper ex iis conſtet ex quibus conſtare & ſolebat & debebat, vt

iam ante multos annos ipſe princeps neceſſe habuerit in eũ cooptare qui vix per ætatẽ arma ferre poſſent: nedum qui virilem ætatẽ attigiſſent, & in armis ab ineunte ætate, more maiorũ, exercitati eſſent. Quod vero apud Chriſtianos ferme nullam eſſe diſciplinam militarem Genuenſis ille dicit, vos ei pro veſtris Germanis militibus iure optimo reclamaturos eſſe ſcio (vt taceam de Heluetiis) ac, quod pro meis Gallis ei opponam, in promptu mihi eſſe aio. Regionem ſeditionibus & inteſtinis bellis laborantem, NOSEIN dicunt Græci, id eſt ægrotare: hoc diu morbo (eheu) laboraſſe noſtram Galliam, & nondum conualuiſſe, nemo eſt qui ignoret. quid tu hîc Vberte? eaſdémne ab ægrotante quas à valente corpore functiones requirere oportet? Exſpecta donec conualeſcat: illam ſuo circa militarẽ etiã diſciplinam officio fungentem, vt antea, & plurima eorũ etiã quę à ſuo Langeo ſapientiſſimè ſcripta de hac diſciplina habet obſeruantẽ cernes. Quid

de illo Briſſaco noſtro, regis Franciſci, hoc nomine primi, in Pedemontanis bellis legato, & nō minus ſapiente illius diſciplinæ militaris magiſtro, dicam? tun' exiſtimas pulcherrimam illius ſcholam, vnde, tanquā ex equo Troiano, tot milites, ſed omnibus militaris ſcientiæ præceptis inſtructi illi quidem, prodibant, obliuioni à tota Gallia mandari, aut (quod peius fuerit) contemptui haberi? Vix certè vlla in re earum quæ ad bellicam gloriā ſpectant, peius de ſuo ipſamet honore mereri poſſet. Ille enim (vt cętera prętermittam) ipſos etiam hoſtes ad obſeruationem vnius è ſuis circa diſciplinam militarē præceptis adegerat: quæ obſeruatio quum quamplurimis videri incredibilis poſſit, eo certè magis eſt memorabilis. Quid igitur illud eſt? vt, ſpectantibus vtriuſque partis militibus, belli pacíſque munia nō eodem tantùm tempore, ſed eodem etiam in loco, id eſt, eadem in planitie, ac eodem interdum in campo, (ſi de minore loci ſpatio ita loquendum

eſt) obirentur: vt, dum ſtrenuè ac fortiter ab his & illis militibus dimicaretur, ſtrenuè ab agricolis ſolum araretur. Quid hîc Vbertus dicet? an diſciplinæ militaris leges in Chriſtianos haud cadere? eadem ille opera, Gallos noſtros è Chriſtianorum numero eximendos eſſe clamet: immo idem de ſuis etiam Italis, de veſtris Germanis, de ipſis etiã Hiſpanis clamare auſit. Verùm aliquid mihi aliud, ab hoc optimo ſcholarcha militari Briſſaco factitari ſolitum, & ab eadem diſciplina non alienum, venit in mentem: de quo mecum illud cogito, *Eloquar, an ſileam?* Nec tamen à vobis petere conſilium queo, eloqui an tacere debeam, niſi interim ipſum eloquar. Satius igitur fuerit, petita venia, eloqui, licet ingratiis eorum, (ſaltem haud eorum in gratiam) quibus à Marte quidem aliqua, ſed à literis & literatis nulla gratia debetur. (Eorum autem in numero vos minimè ponendos eſſe, téque præſertim, AVGVSTISS. RODOLPHE, perſuaſum habeo: dè

tuo quidẽ certè auſpicatiſſimæ & honoratiſs. memoriæ parente affirmare poſſum: non tantùm eius de literis & literatis ſermonum, valde propẽſam voluntatem teſtantium, ſed liberalitatis etiã ob literas particeps factus.) Nam quũ è Martiis viris ſint nõnulli, quibus omnia ad bellũ pertinentia literatorum conſilia, præſertim eorum qui nunquã militiæ nomen dederũt, non minus quàm ægrotorum ſomnia vileſcant: Briſſacus ille contrà Georgium Buchananum, tum filij ſui præceptorẽ, in conſiliũ vnà cũ ipſis exercituũ ducibus adhibere ſolitus erat. Atque huic conſuetudini occaſionẽ hoc præbuit, ꝙ quum Buchananus aliquando è cubiculo ſuo, vt vni è famulis quidpiam iniungeret, deſcendiſſet in cœnaculum cõtiguum aulæ in qua Briſſacus cum ſuis de quadam re non parui ad ſummã rerum momenti conſultabat, & aliquot à ſe murmuratis (vt fit) verbis, eam q̃ pluribus placebat ſententiam, ſibi diſplicere oſtẽdiſſet, ſubridere quidam è ducibus cœperit:

ſubriſus cauſa intellecta intrò vocat° à Briſſaco, & liberè pronuntiare ſententiam coactus, oracula loqui non ipſi tantùm Briſſaco ſed cunctis ducibus fuerit viſus: & oracula loquutus eſſe, ipſa etiam experientia teſtante, poſtea fuerit dictus. Multum hîc, literarũ, ſed nihil nationis meæ honori tribuo: quum non de homine Gallo, ſed de homine Scoto loquar. de Scoto inquã illo quem ego primus titulo, poëtarũ ſeculi noſtri facile principis, honoraui, & poſtea tota mea patria, tota Italia, Germania, aliæque nõnullæ nationes, meo iudicio (vt de quibuſdam aliis titulis) ſubſcribentes, honorandum cenſuerunt. Enimuero tamdiu vos hoc ſermone detineo, vt veniam iterum petere neceſſe propemodum futurum ſit. Niſi fortè, aliquantiſper à rerum Turcicarum ſtatu interquieſcere, vobis quoque haud iniucundum fuit. Sed, quum ad illum reuocanda ſit oratio, & quidem ad illius corruptelam, de Genitzaris (quorum mentio ad illũ de diſciplina mili-

tari ſermonem me compulit) verba facere pergam. Eſto, in eorum militum qui Genitzari vocantur, delectu, tantam adhiberi quanta vnquam adhibita fuerit diligentiam: quis iam aut Archibaſſa aut Vezir-azem de illorum fidelitate Amurathi vel ad breue tempus ſpõdere poteſt? Immo verò in Vezirem quendam (quod alios Vezires ab ea ſponſione meritò deterreat) cuiuſdam Genitzarorum ſeditionis culpam collatam, & immeritum, non ſecus ac merentẽ, pœnas luiſſe legimus. Quòd ſi tamen aliquis eò adduceretur vt de eorum fidelitate ſpondendũ ipſi eſſet, quo potentius eorum agmẽ eſſe videret, eo magis hanc ſponſionẽ pręſtare dubitaret. Nónne igit᷑ Amurathem lupum auribus tenere, ad hos milites quod attinet, meritò dicem᷒? Idem verò de aliis non aliorum tantùm militum verùm & magiſtratuum ordinibus pronuntiandum fuerit. Vt tamen de Genitzaris potiſſimum loquar, ſicut potiſſimam in his fiduciã collocaſſe maiores eius conſtat, nón-

ne quo dictum fuit modo illud iam olim, Fuimus Troes, eodem dicendum modo Genitzaris fuerit (ſi quidem ex conſcientia loqui velint) Fuimus Genitzari. Quòd ſi vlterius etiam progredi, & magis apertè ſimul ac ingenuè fateri quod verum eſt libeat, non minus iſta dici ab illis poterũt, Quàm fuimus principis noſtri admiratores & cultores, tam ſumus illius contemptores: q̃ fuimus animoſi, tam ſumus ſeditioſi. Nec vero de aliis militũ ordinibus idem dici nõ queat: quinetiã addi, Quàm fuimus audaces & pugnaces, tam ſumus peruicaces, fallaces, rapaces. Quòd ſi etiã fieri poſſet vt quæ eius militiæ ex corruptela deceſſerũt, ſublatis huius corruptelæ cauſis illi reſtituerentur, at illa quæ aliunde imperium eius paſſum eſt damna quomodo ſarcirentur? Ne longè abeam, ſed in militia vt maneã, equitatus ſui tantam feciſſe iacturam fertur in illis de quibus antea dictum eſt bellis Perſicis, vt nullam hactenus rationẽ illius ſarciendæ excogitare potuerit. Neq;

hoc videri mirum cuiquã debet. non enim ſolùm magnis aliquot preliis vehementer ille imminutus fuit, ſed nõ paruus etiam equorum, ſicut & hominum, numerus, rerum omnium ad vitam neceſſariarum penuria prius interiit quàm fines hoſtium poſſet attingére: vtpote agris pleriſque, qui inter Turcas ſunt & Perſas, ad longiſſima vſque ſpatia, planè vaſtatis, & quodãmodo in teſqua inhoſpita verſis. Quod etiam facere pro illis poteſt, qui dubitare ſe aiunt, an iacturæ quas eius imperium bello Perſico fecit, ea quã occupauit Perſarum ditione compenſatæ dici queant. Cuius quidem dubitationis & antea mentionẽ feci, quũ de magna veteranorum atque optimorum militum iactura verba facerem, atq; interim de multis ducibus ſimul amiſſis tacerem: quaſi cum illa illorũ mentione coniuncta hæc quoq; eſſet.

Sed imperia, quãuis debilitata, adminiſtratione bona diu ſuſtẽtari poſſunt: dicet quiſpiam. Atqui eſſe vlla adminiſtratio bona quî queat, vbi iã

nec ſuæ religionis (qualiſcunque eſt) reuerentia, nec vllo lègum metu homines in officio cõtineri poſſunt? Nã, quod ad religionem attinet, eandem illi quam prius reuerentiam non præſtari, propter eas præſertim quæ de illa exortæ ſunt controuerſias, dictum antea fuit: ac, ipſo etiam imperatore conniuente, quod arctiſſimũ eſſe conſueuerat illius vinculum ita iam laxatum eſt, vt quæ ſacroſanctæ apud illos & inuiolabiles erant leges Mahumethicę, eas hodie certatim bona pars violare non dubitet. Quòd ſi malum eius exemplum eiúſque conniuentia multum de autoritate religionis detrahit, multo etiam plus iuſtitia de ſua amittit, malo illius exemplo: vt taceam, iam ante multũ illi de iure ſuo deceſſiſſe. Fama enim fuit olim, vigere apud Turcas iuſtitiam. Ac ſanè ſub ipſo etiam Solimano, qui auus huius fuit, fama illa vera erat: quum is pleriſque ſeueritatis magnæ exemplis cum in homines priuatos, tum vel maximè in præfectos qui violenti ac iniurioſi

eſſent, illam cõfirmaret: ſed mox, huius pater multũ à patre Solimano degenérans, famam illam valde labefactauit, quum iuſtitiæ quędam tantùm ſpecies inanis appareret. At hoc imperánte ſpecies etiã illa exſtincta fuit. Nõ enim ipſe modò auaritiæ ſuæ (quã iniuſtitiæ matrem eſſe noſtis) & rapacitati, in perniciém ſuorum populorum, indulgere omnia cœpit, ſed exemplo ſuo alios ad idem flagitium impulit. Satis enim conſtat, ſub nullo vnquam imperatore Turcico ꝓuincias ita ſpoliatas & expilatas fuiſſe ab iis ipſis qui ſartas illas & tectas ab omni externa iniuria conſeruare debebãt: adeo vt hæ præfectis illis, tanquam oues lupis, cõmiſſæ videri poſſent. Verùm de hac eorùm quoque qui in dignitate aliqua conſtituti ſunt rapacitate dictum & antea fuit. Cæterùm, quod huius maioribus iuſtitiæ laudẽ tribui, mirum fortaſſe nõnullis videri poſſit: quum adminiſtratio iuſtitię captum barbaræ gentis ſuperare videatur. Verùm (vt noſtis) quæ multo etiã

barbaræ magis ſunt gentes q̃ Turcica, in multis quid naturale ius poſtulet cernere poſſunt: &, quamuis multa tyrannicè faciant, nihil vetat quominus velut iuridicam ad nonnulla conſcientiam afferant. Vt omittam, eum qui æquá lance omnibus legum autoritatem conſeruat, iuſtitię obſeruantem dici: etiamſi leges ipſæ reformatione indigeant.

Verùm (vt tandem hunc de præſenti Turcici imperij ſtatu locũ claudã,) quo magis vaſtum illud corpus circũſpicietis, eo plura in eo debilitata & pene fracta, quædam omnino etiam fracta animaduertetis: vix denique quidquã in eo, à capite ad calcem, integrum eſſe, vix quidquam ſatis firmũ in eo manere. Quum autem ea quæ iam per ſe labaſcunt, paruo impulſu facilè prolabantur, quis corpus illud breui ruiturum non ſperet, ſi aliqua vi externa impellatur? Iam verò, licet hæc ruinæ indicia nõ haberemus, tamen quum iſta huius imperij tyrannis omnes vias, quibus ad præcipitiũ

aliæ multę iuerunt, inſtiterit, credibile eſt certè illam à ſuo exitio proximè abeſſe. Ac, quemadmodum vſu venire videmus plerunque in moribũdis, vt mortis propinquæ ſigna non ſolùm videant ij qui eos circumſtant, ſed ipſi etiam ſentiant: ſic etiam ex ipſis quoque Turcis ij qui paulo ſagaciore prędicti iudicio ſunt, in tam corruptũ imperij ſui ſtatum intuentes, non iam occultè præſagiunt, aut ominantur, ſed apertè profitentur, diuturnũ eſſe non poſſe: ac tanquã de moribundo quodam imperio loquuntur. Hinc etiam fit vt tanto maiorem quibuſdam ſuis vaticiniis fidẽ adhibeãt, quæ his ipſis temporibus interitum Turcicæ monarchiæ aſſignant. Sed quid vaticiniis opus eſt, vbi res ipſa illud loquitur? vbi imperium nõ aliena vi ſed ſuorum horrendis ſceleribus ab ipſis propemodum fundamentis conuulſum videmus? Nam & præter illa ſcelera quę à me ſunt commemorata, quamuis olim etiam illa gens nefandis libidinibus (quæ vel ſolę quibuſdam gentibus

exitium attulerunt) contaminata fue rit, nunquam tamen ad illas ita ſibi habenas laxauerat, vt nec latebras quærendas putaret. Nõ ignoro interim eſſe qui illis hæc flagitia permitti ab ipſorum lege dicant. Quorum in numero eſt noſter Vbertus Folieta. Is enim poſtquam Turcas, ſanctos quoſdã fecit, id eſt, Turcas non aliter nobis depinxit, quàm ſancti quidam homines depingendi eſſent (nulla enim in deũ immortalem conuitia apud illos audiri ſcribit, nulla eſſe adulteria, nihil denique in quo legis violatæ aut negligenter obſeruatæ ſit offenſio) addit, ſe tamen non eſſe neſcium, atrociora flagitia ab impia & execrabili illorum lege illis permitti. Quid autẽ aliud q̃ illas nefandas libidines, appellatione horum flagitiorum, quæ atrociora eſſe fatetur, declarare voluerit, haud video. Cæterùm quum Turcæ ad eas, ſiue ſua illis lege permiſſæ ſint, ſiue ſecus, magis q̃ antea vnquam habenas ſibi laxare, vt dixi, cœperint, eós vel per hoc tantùm nefas vindictã

dei acceleraturos, cui non ſit credibile?

Verùm ne hoc quidẽ inter illa quæ ruinã imperij portendere videri poſſunt, ſilentio prætereundum eſt, ꝙ filio cum patre male, multo minus patri cum filio bene conuenit. Quomodo autem bene illis cõueniret, quum pater ſtructarum ſuo regno inſidiarũ ſuſpectum habeat? Non de nihilo autem eſſe hanc ſuſpicionem, multis eſt perſuaſum: & verò milites ſua iam deſideria filij in locum patris ſubſtituendi multis & luculentis indiciis feruntur patefeciſſe. Obiiciet aliquis, ſi filius in ſolium patris collocetur, conditionem fortaſſe noſtram haud meliorem futuram eſſe: at ego iſtud minime fieri aut etiam tentari poſſe reſpondeo, quin ad tot ſuperioris temporis ſeditiones aliæ accedant: quid ſi vero imperium, quod præteritis ſeditionibus adeo iam eſt labefactatũ, à præſentibus peſſumdetur? Quod enim in morbis quibuſdã experimur, vt à paruis initiis maxima ſibi paula-

tim incrementa ſumant, idem & imperiis ægrotantibus (liceat enim hîc mihi ita loqui vt Græcos loqui ſolere, antea dixi) accidit, vt quæ parua clades initio fuerit, aliis ad illã accedentibus, maxima grauiſſimáque, & tandem (tanquã illi fatalis) exitialis fiat.

Atenim ita cõparata eſt quorundã hominum natura (dicet quiſpiam) vt non multis tantùm argumentis, quæ vel ex pręſagijs vel aliũde ſumpta ſint, ſpem fieri ſibi velit, ſed pręcedere etiã aliquid velit, quod, quantulumcunq; ſit, eos ad bene ſperandum hortari dici poſſit: quid? nónne hîc iſtud quoq; habetis? nónne vos vel nupera experientia ad bene ſperandũ hortata eſt, & nunc quoque hortari dicenda eſt? nónne quam illi à maiorib⁹ ſuis degenerauerint, & q̃ abiectos ac prope muliebres gerant animos, experti eſtis, quum tam exiguis viribus tantas eorum copias ſuperaſtis, & tã breui tempore tot arces illis eripuiſtis?

Nequid verò interim diſſimulẽ eorum quę opponi mihi poſſe videntur:

magnos de longè maioribus Turcarũ apparatibus, quinetiam de ingẽtibus Tartarorum auxilijs, ſparſos eſſe rumores ſcio, qui metus aliquid, aut etiã terroris, illi ad quam vos hortor ſpei miſcere poſſint. Sed nõ eſt quòd vos terreant rumores illi, ſi modò vobis certum ſit vires, & tantas quidem eas quãtas poteſtis, coniungere, ac eas in tempore expedire: inque tanta conſtantia & animi firmitate permanere, quantam virtus veſtra & prudentia, ipſiúſque rei magnitudo requirit. Nã ad numerum militũ quod attinet, (ſi orationi meæ huc vſque progredi à vobis conceditur) experientia ſuperioribus bellis docuit, triginta millia equitum, & centum millia peditũ ex ſola Germania conflari poſſe. Quibus copiis ſi duces accedant rei militaris periti, & non minus ob hanc peritiam q̃ aliunde magna autoritate præditi, vix vllæ iam copiæ Turcicæ, quantumuis numeroſæ, poterunt reſiſtere. Exceptis enim Europæis militibus, quorum magna pars bellis Per-

ſicis tam diuturnis abſumpta fuit, cæteri adeo effœminati & ad bellum in Chriſtianos gerendũ tam inepti ſunt, vt multorũ ex illis vultus vix ſuſtinere poſſint. Nec verò Turcæ rationibus vlla re alia magis cõſultum fuit, (vt ex Lazaro Schuendio, rei bellicæ cũ aduerſus alios hoſtes, tum vel maximè aduerſus Turcas, peritiſſimo, atq; ex quibuſdam aliis audiui) q̃ quòd Chriſtiani, incõſiderato quodam & velut fatali metu, iuſto prelio Turcã aggredi à tot annis auſi nõ fuerint: quũ vno prelio vict⁹, nõ tam facilè q̃ creditur exercitum ac bellũ reparare poſſet. Quid ſi igit̃ ſupſtes Lazarus Schuendius audiret, quantum ab eo tempore quo hæc loquebatur, debilitatum illud imperium fuerit?

Spem denique vobis facere, & animum addere debent multi etiam populi, qui Turcicæ tyrannidis iugum ferre diutius quum vix queãt, omnes illius excutiendi occaſiones cupidiſſimè arrepturi ſunt. Vel hoc verò quantam conſternationis Turcarum

ſpem

ſpem facere vobis debet, q̧ Chriſtiani eos aggrediētur, quũ ipſi Chriſtianos aggredi ſolerent? Nimirum ſuas illas cõtinuas ad deum preces de perpetua Gaurorũ diſcordia, iam ab eo non exaudiri lamentabuntur.

Qvvm autẽ & hîc occaſio mentionis diſcordiæ ſermoni meo ſe obtulerit, eam minimè prætermittendam, ſed (ita re poſcẽte) cõcordiæ, licet inimicæ capitalis, mẽtionem coniungẽdam cenſeo. Quamuis enim alioqui eo ſint loco res hoſtium, cùm ob alia, tum ob diſcordiam, vt eas euertendi ſpes vndiq; vobis ſe oſtendat: tamen, niſi ipſi quoque vobis ab eodem malo caueatis, vel potius operam detis vt quãtacunq; eius portio iam in medium veſtri irrepſit, nec eorũ minus quorũ opera hoc ad bellũ vſuri eſtis, ante exſtirpetur q̃ altius radices agat, metuendum eſt profectò ne, quantũ occaſionis ab hoſtibus rerum proſperè gerendarum prębetur, tantum obſtaculi ad progreſſus maiores faciendos ipſi vobis obiiciatis. Sed longa

M

oratione apud tantos tantáq; prudẽtia præditos viros non opus eſt: quæ vos hortetur vt cõcordiam inter vos colatis, & nulli eorum aures præbeatis, qui aut præ imperitia rerum ad felicem Germaniæ veſtræ ſtatum pertinentium, aut maleuolentia & improbitate impulſi, diſſidia inter vos quærere velint. Hæc enim diſcordiæ peſtis vna ſatis potens fuerit ad peruertenda omnia quæ prudenter conſtituta, & ita inchoata fuerunt vt felicium progreſſuum ſpes affulgeat.

Sedenim, quum de illorum etiam agatur concordia, (vti dixi) quorum opera bellũ ad hoc vſuri eſtis, veſtrũ fuerit eandem illam prudentiam eo― vſque extendere. Quo autem id fieri modo aptius poſſit q̃ diſciplinæ militari prouidendo, haud videre me fateor. Iſtud enim ex omnium ſeculorum memoria conſtat, & ſummus de hoc omnium prudentiorũ eſt conſenſus, qua diſciplina rite & conſtanter ſeruata incolumitas & felicitas exercitus contineatur, ex eadem negle-

cta, magna incommoda & nonnunquam perniciem illos etiam cõſequi exercitus qui à cæteris alioqui rebus omnibus ad res præclarè gerendas egregiè erant comparati. Ac ſanè fuit iſta quondam laus Germaniæ ſingularis & præcipua, quòd quum cætera ad veniam dandam faciles eſſent, ſummã tamẽ ſeueritatem in militari diſciplina ſibi adhibendam exiſtimarent. Apud Romanos etiam, à quorum nomine veſtrum imperium Romanum appellatur, ſacroſanctam quodãmodo illã diſciplinã fuiſſe, exempla vos docent eorum (priſcorũ præſertim) qui eius minimis etiã in rebus violatæ pœnas de conſanguineis, nonnunquã & de liberis, morte ſumere non dubitarunt. Etſi verò difficile videtur, in tam corruptis ſeculi noſtri moribus, ex illis quæ ad hanc diſciplinam pertinent ea in integrum reſtituere quibus nihil vlla ex parte integrũ remanſit, ſed omnino labefacta ſunt (vt quũ natura cheirurgo nihil ad membrum cum membro velut readglutinandũ

reliquit) tamen hoc alia ex parte occurrit, mala hæc non magis q̃ morbos inueteratos, & per ſe periculoſos, negligenda eſſe: ſed omnia remedia ſtudioſè ac ſolicitè adhiberi debere quæ ratio poſtulare videtur. Quis autem melius, quis fidelius hoc præſtare, q̃ vos, poterit? quid huc pertinere dici poteſt quod veſtra prudẽtia maximo rerum vſu confirmata non ſit vobis ſuppeditatura? Eo autem minus vos operæ hac in re poſitæ pœnitebit, quo magis obſequentes illi veſtræ nõ tam nouæ q̃ renouatæ diſciplinæ milites experiemini. Quis enim eorum erit, quem cogitatio de periculis in tanto bello ex inobediẽtia imminentibus, ad obedientiam non adigat?

Interim tamen mihi per vos liceat velim, nonnulla illis quæ in meo ad Folietæ lucubrationem reſponſo de hac militari diſciplina iam diſſerui, adiicere: & meã de nonnullis ſententiam proponere, de quibus veſtrũ ſit iudicium. Ante omnia autem vobis, vel potius toti veſtræ Germaniæ, gra-

tulabor quòd vix vllis Germanorum exercituum ducibus ac proceribus tam fœda poſſe obiici exiſtimem, q̃ ſunt ea quæ ille tamẽ Chriſtianis omnibus exercituum ducibus & proceribus communia eſſe perſuaderé nobis conatur. Eo certè peius de Chriſtiana republica meretur, quo magis in nobiles q̃ in alios ea iactantur: quũ plerunq; contingat vt nobiles ſint exercituum duces, in proceres autẽ vix alij q̃ qui huius ordinis ſint eligantur. Velim autẽ vos & cuiuſdã de militante nobilitate diſſertationis recordari, vbi oneri impares quidem me ſentire meos humeros dixi, ſed illis imponere tamen, ꝙ impoſitũ & tempore exiguo geſtatum in alius cuiuſpiam humeros poſſe transferre noſſem. Ego certè, illi diſſertationi conſentanea & nunc loqui volens, multo maiorem nobilitatis, in re militari, & quidẽ in ipſa etiam diſciplina militari, habendam rationem cenſeo, q̃ Folieta haberi voluerit: vt quidẽ eius præ ſe fert ratiocinatio. Poſtquã enim dixit, no-

bilitatem apud ſuos altiſſimum locũ tenere : eóſque maximis muneribus præfici, qui, quum nullum ſui documentum dederint, ſola nobilitate familiæque ſplendore eniteant: quibuſdam interiectis, ſe filios ac fratres regum excipere dicit: ꝙ his ſummũ imperium mandari, non modò nõ damnoſum ſed vtile in prímis ſit reipublicæ. At ego ſcire ex illo velim, qualis poſſit eſſe filiorũ aut fratrũ regũ, magis q̃ aliorũ ſimpliciter (vt ita dicã) nobilium excuſatio, ſi & illi ad bellum in eo minimè exercitati veniant. Sin mihi cõcedat vt illis filiis ac fratribus regum vicarij belli periti dentur, quærã cur non idem & nõnullis ſimpliciter nobilibus gratificari velit : ac multo tamen magis iis qui medium quendã gradum, ad nobilitatẽ quod attinet, inter hos atque illos tenebũt. Filium autem vel fratrem regis, aut, ſi nõ regis, magni ſaltem principis, (fortaſſe autem & in eo tantùm gradu conſtituti, quem qui tenent, magis generali regulorũ appellatione à quibuſdam

comprehenduntur) non dubium eſt quin,non exercitus (ſi de vno tantùm agmine intelligatur) ducem eſſe, ſed vniuerſis copiis ac ſummæ rerũ præeſſe oporteat. Ac, quamuis vicarius dari illi poſſit rei militaris peritior q̃ nobilior,magni tamen refert ad autoritatem,vt non minus nobilis q̃ in bello ſit exercitatus. Quòd ſi etiam contingat vt ex illuſtri nobilitate ſit, minimè dubiũ eſt quin hoc ad reſtituendam, necnõ conſeruandam atq; promouendam diſciplinã militarẽ, multum momenti allaturum ſit. Eo enim facilius erit, eius autoritate & imperio cum cætera omnia quæ ad ſummã rerum ſpectabunt, rite atque ordine conſtituere, tum in primis viam intercludere non minus periculoſis q̃ ambitioſis contentionibus quorundam, qui militaribus funguntur muneribus, & exemplo potius ſuo reliquos milites continere intra modeſtiæ & obediẽtiæ limites deberẽt. qđ militaris diſciplinæ præcipuum eſſe officium à quibuſdam iudicatur.

Conſiderandum autem hîc eſt, fre quentes & magnas inter nobiles oriri contentiones de tenendo loco gradui ſuo conſentaneo: ac propter eas potiſſimum conſultũ fore vt qui militiæ veſtræ præerit, illum quem dixi illuſtris ſaltem nobilitatis teneat gradum. Rideat Vbertus Folieta, ſi hæc audiat: ac vel hac in parte, Turcicæ militiæ cõditionem longè eſſe potiorem exclamet, ꝙ vt hic nobilitatis ordo ibi ignoratur, ita etiam ignoretur huiuſmodi cõtentio. Sed hoc magnũ malũ magno bono cõpenſari, in meo aduerſus eius lucubrationem reſponſo oſtendi. Cæterùm, quũ magna nobilitatis, ꝓ variis eius gradibus, dignitatem velut diſpenſantibus & diſpeſcentibus, in militia Chriſtiana, & in Gallica nominatim, habeatur ratio, vt primus ei vel ſecũdus vel alius gradui cõſentaneus aſſignetur locus: ſed aduẽtitia quædã ex muniis bellicis autoritas, cũ aliqua itidẽ dignitate coniuncta ſit, quæ tamẽ dignitas iudicat᷑ inferior ea quæ per claros natales in-

genita eſt: ac fiat nihilominus interdum in bello vt pro tempore & pro re nata hanc illi cedere oporteat: hinc magnas contẽtiones ac diſcordias apud noſtros oriri conſtat, & nonnunquam tantas vt rerum præclarè gerẽdarum occaſiones amittantur. Ac ſuſpicabar certè initio, Folietam de ſeditionibus eandem habentibus originem loqui, vbi Chriſtianorum caſtra, ipſorum militum ſeditionibus q̃ hoſtium oppugnationibus infeſtiora fere eſſe dicit. Sed quum primo aſpectu ita iudicaſſem, ſtatim ad ea quæ proximè ſequũtur pergens, vbi ne duces quidem ipſos ac proceres eo vitio carere ſcribit: priora illa verba de ipſo etiam vulgo militum intelligenda exiſtimaui. Ac, quum de omniũ Chriſtianarum gentium militibus hoc dici non poſſe ſcirem, ideóque de ciuitatibus potiſſimum accipienda eſſe illa verba cogitarem, mihi tandem viſus eſt ſuos honore hoc afficere. Ita enim loquitur, *vt Chriſtianorum caſtra, ipſorum militum noſtrorũ ſeditionibus, quàm*

hoſtium oppugnationibus, infeſtiora fere ſint. Alioqui enim cur illud *noſtrorum* addendum erat? Niſi fortè ſuperuacaneum ſit iſtud vocabulũ, atq; ex ſuorum Italorum natura, in quorum nõnullis tam ſéditioſa ingenia obſeruauerit, alios omnes Chriſtianos metiri voluerit. Vt tamen ingenuè quod ſentio fatear, nõ magis in Italos q̃ in Gallos ſuſpicionem illam cadere poſſe arbitror: quantum quidem Italicorum ingeniorum (cum quibus multos per annos verſatus ſum) queo recordari. Hoc ſaltem memoria mihi non excidit, tres illas voculas, *Non e vero*, quæ à Gallorum ſtomachis concoqui nullo modo queunt, ideóque multorum malorum apud illos cauſa ſunt, atque adeo ſeditionum in cædes erumpentium, Italorum pleriſque concoctu faciles eſſe. Erunt autem fortaſſe qui me hæc ſcribentem, male ominari dicent: ſed eos conſiderare velim, meũ de militari diſciplina ſermonem ad iſta etiam venire neceſſe habuiſſe: ac illud etiam prouerbiũ cuius facta fuit

ante mentio, in memoriam ſibi reuocare, *Felix quem faciunt aliena pericula cautum.* Nonnulli verò fortaſſe mentionem Gallorum & Italorum intempeſtiuè hîc à me fieri dicent, quum illa de qua nunc agitur militia Germanos & Hungaros potius q̃ vllos alios ſit habitura. Verùm, quum lectorum maxima pars Folietam ſeditioſa in caſtris ingenia vniuerſitati Chriſtianorum militum tribuere iudicatura ſit, ita hîc illi Genuenſi de illo dicto reſpondere vt Germanorum etiam atque Hungarorum fiat mentio, quid aliud fuerit q̃ hos è Chriſtianorũ numero non eximere? Sed quærent iidẽ fortaſſe, an velim interim illam Folieticam his quoq; duabus gentibus notam inurere. Ego hoc reſponſo contentos fore illos ſpero, Vtinam Chriſtianis finibus nulla magis turbulenta ingenia includerentur. Ac Turbulenta tamen minus eſſe quàm Folieticum illud Seditioſa, haud ignoro. Hinc igitur fit vt vos de introducenda in horum hominũ militiam veſtra

militari diſciplina nõ valde laboraturos ſperem. Ad Hungaros quidẽ certè quod attinet, eorũ plurimos quotidie, omnibus aliis poſthabitis, in cõmunem hoſtem animis coniunctiſſimis pugnare, & laudabili potius æmulatione virtutis q̃ inani titulorum nobilitatis oſtentatione atque iactatione inter ſe contendere, vobis magis q̃ mihi notum perſpectúmq; eſſe ſcio. Idem certè faciendum eſt omnibus qui rectam laudis & gloriæ inire ſtatuerũt viam. Vt enim quiſque eſt maiori nobilitate & fortitudine præditus, ita maiori curæ ipſi eſſe decet quomodo decora auita augere, & nouum quaſi lumen in familiam ſuã inferre poſſit. Ac tantum abeſt vt præclaris aliorum conatibus inuideat, vt etiam magnopere iis faueat qui iiſdẽ veſtigiis quibus maiores ipſius & ipſe antegreſſi ſunt, in altiorem honoris & dignitatis gradũ paulatim aſcẽdere conãtur. Hoc certè ſi omnium gentiũ milites animo eſſent, omnéſq; natalibus nobiles, magis de acquirendo ex

ſua fortitudine nouo dignitatis gradu,q̃ de ſe infra nobilitatis ſuæ gradũ nõ demittendis cogitarent,vix certè illæ quas modò memoraui contẽtiones orirentur.Neque enim eſſent qui ita ſui ipſorum gradus, ad nobilitatẽ quod attinet, habendam rationem putarent, vt peritiorum rei militaris, etiamſi minus nobilium, aut ne nobilium quidem, imperium (vrgente præſertim neceſſitate)detrectare vellent. Niſi fortè ſint qui nobiles illos Perſas apud Xenophontem multo ſe inferius(vt quidem videri multis poſſit) demittentes, aliqua inde macula ſuam nobilitatẽ adſperſiſſe opinẽtur. Sed quum hinc,illa cum quibus negotium vobis futurũ eſt,minus refractaria eſſe ingenia,illinc,quãta ſit autoritas veſtra, (quam ſumma etiam auget prudentia) conſidero: vereri ſubit ne quis in me illud, Sus Mineruam. Ac mihi certè propoſitum non erat,neq; fortaſſe ſatis decorum videri poterat, vt vos de iis monerem quæ ad diſciplinam militarem integrè inuiolatè-

que ſeruandam pertinent: quum illa omnia & prudentia veſtra & peritiſſimorum belli ducum prouidentia vobis abundè ſuppeditare poſſint: ſed à me tamen ſilentium de re tanti momenti impetrare nõ potui: tanquam huius rei mentione vos ſtatim ad vota mecum faciẽda excitaturus eſſem, vt, ſiquis antea & inter veſtros milites neglectus eius fuit, tanto nunc maior eius cura habeatur.

Sunt verò & alia quæ prætermiſiſſem, quum minimè dubitarẽ quin vobis & pro veſtra prudentia, & pro veſtra de tam charæ vobis patriæ ſalute non ſolùm vigilãtiſſima cura, ſed etiã valde anxia ſolicitudine, venire in mentes ſatis perſpicaces poſſent: niſi earum aciem in alia plurima negotia, hoc in conuentu, diſtractum iri ſciuiſſem. Sedenim, quæcunque futura ſint illa negotia, quæcunque futuræ ſint aliis de rebus curæ, vos ego non tantùm totius veſtræ Germaniæ ſed vniuerſi orbis Chriſtiani nomine & verbis oro atq; obteſtor vt, iuſta qua-

dam prærogatiua, illa de acerrimo ad uerſus acerrimũ illum hoſtẽ bello cura omnibus præuertatur. Quæ enim alia cura veſtra cum dei gloria ſic con iuncta dici poteſt? quum eo quo hoſtẽ hunc oppugnabitis bello, gloriã dei, quã ille tot modis oppugnat, ſitis propugnaturi? Vt taceam, illũ non iam ditiones veſtras tantùm, ſed omnia imperia quæ nomine Chriſtiano cenſentur, tyrãnidi ſuæ conari ſubiicere. Nulla certè iam vobis excuſatio relinquetur, ſi amplã, quæ nunc ſe offert (quũ alioqui votis omnib⁹ expetẽda foret) occaſionem, nõ amplectamini. In eo autẽ & illud peccabitis, ꝙ à maiorum veſtrorum veſtigijs penitus diſcedetis: ac reipſa teſtatum facietis, priſcũ illud veræ laudis & gloriæ ſtudium in pectoribus veſtris tantumnon exſtinctum eſſe. Memoria enim, ex ãnalib⁹ veſtris, repetere poteſtis, quantos vltro labores veſtri maiores ſuſceperint & quanta pericula ſubierint, iis temporibus quibus domi tuti, & rerũ geſtarum gloria celebres, pacis altiſſimę

commodis omnibus & ornamentis frui poterant. Hoc teſtantur tot in Palæſtinam expeditiones glorioſiſſimæ (ſicut & fuerãt periculoſiſſimæ) quas aut propriis viribus, aut cũ aliis communicatis, ſuſceperũt, admirabili fortitudine & conſtãtia: quum extrema omnia remotiſſimis in locis ferenda ſibi potius q̃ ab inſtituto diſcedendũ infecta re exiſtimarent. Tantam autẽ inde gloriam conſequuti ſunt, vt vel antiquis illis heroibus comparãdi videantur, qui totum terrarum orbem peragrantes, de immaniſſimis illis tyrannis pœnas meritas expetebant.
Quid? an Germani, quos maiores eorum labores ſuſcipere, quæ pericula adire, pro aris tantùm dimicantes (id eſt, religioni tantùm ſuæ opitulantes) non dubitarunt, ipſi, vt pro focis non minus q̃ pro aris dimicent, eoſdẽ ſuſcipere, eadem adire dubitabunt? Atqui, ſi ipſos inuitantẽ occaſionem nõ curant, at neceſſitatem, ſe illuc pertracturam eos minantem, curent, vel potius reformident. Quid de aduentante

te neceſſitate loquor? immo iam aduênit, ex quo immaniſſimi illi eorum, hoſtes in Stiriam & Carinthiam irruperunt. Audaciores enim illi q̃ olim (vt iam monui) ibi pedem etiam figere voluerunt, vnde, prædis feſtinãter arreptis, poſſe domũ ſe recipere, antea boni conſuluiſſent. Sed obiiciet quiſpiã, male hoc conuenire cum iis quæ de ſtatu eorum debilitato dixi. Ego verò ad illa quæ priùs ad hoc reſpondi, iſtud addo, vt ſæpe infelicem, ita felicem eſſe aliquando temeritatem: ac extrema illum tentare, tanquã aduerſus hoſtes ſibiipſis ſimiles, id eſt, nimium meticuloſos, (ſed quid addere Nimium neceſſe eſt?) futuros. Quum autem extrema tentare illum dico, eos nõ minus, immo magis etiã reprehendendos eſſe innuo, qui hoſtem hunc contemnant, (etenim ne minimum quidẽ hoſtem ita eſſe contemnendũ vt ab eo nobis non caueamus, me antea confitentem audiſtis) q̃ qui plus ſatis ab eo ſibi metuant, & ita quidem vt aggrèdi illum non au-

deant. Si tamen vnquam antea reprehēſione digna fuit illa meticuloſitas, nunc certè multo magis, occaſione eos non inuitante tantùm ſed modo non ſolicitante: & temeritate hoſtes ſua (quæ mirabilis eſt dei prouidētia) Germanis admouēte: ne, longam ad eos adoriendos viam conficiendo, ſimul etiā labore ſe prius cōficiāt. Neque verò ſatis fuerit occaſionem nolle prætermittere: videndum vt ea ad quę ipſa inuitat & ſolicitat, tā diu non procraſtinentur, vt cunctationem nimiam pertæſa, non ſolùm è manibus veſtris ſed etiam ex aſpectu ſe ſubtrahat. Nam conſulto (vt rectè inquit ille) & vbi conſulueris, maturè facto opus eſt.

Abſit interim vt quā accelerationem prudentia impetrare à vobis debet, eam contemptus hoſtium à vobis impetret. Quamuis enim multis rationibus ſatis ſupérque oſtendiſſe mihi videar, non eſſe cur vos à propoſito tam honeſto & ad ſalutem atque incolumitatem veſtræ Germanię neceſſa-

rio ea opinio abſterreat quam quidã conceperũt, & aliorum perinde meticuloſorum animis indere conãtur: cauendum tamen eſſe, iterũ, iterúmque iterúmq; milites veſtros moneo, ne ab hoſtib⁹ ſibi, & q̃dẽ ab omni parte, cauere obliuiſcãtur: ne hoc in cauſa ſit cur aliquid eorum prætermittãt quæ ad bellum rite adminiſtrandum quantulumcunque momenti afferre poſſe exiſtimentur. Potiſſimum vero dent operã ne veniant præſidio concordiæ deſtituti, quam hoſtes illi orbe Gaurico (id eſt Chriſtianico) cupiunt perpetuò exulare.

Hæc ſunt, AVGVST.

HÆC ſunt, AVGVSTISS. CÆSAR, ET ILLVSTRISS. ATQVE AMPLISS. ORDINES SACRI ROM. IMP. quibus viſum eſt mihi Pariſino vos hortari ad expeditionẽ in Turcas fortiter & conſtanter perſequendam: lucubratione illa Vberti Folietæ, Genuenſis, de magnitudine & perpetua in bellis felicitate imperij Turcici, qua verebar ne multi lectores exanimarẽtur, animato ad vos contrà aduerſus imperium illud ita animandos, vt, quæ falsò illi tribui, verbis probare ſum conatus, vos nõ multo poſt re ipſa probaretis.

Sed ad augendum mihi animum duo etiam alia aliunde concurrerũt: vnum, conuentus veſter, qui hoc ipſo tempore habendus eſt, & fortaſſe iam haberi cœpit: alterũ, quæ in hoc tempus incidit inuadendi hoſtis tam fauorabilis Occaſio (quod ex mea per totam fere orationem deſcriptione apparet) vt cœlitus demiſſa ad pulſandas aulę veſtrę fores, ſéque vobis offerendã, dici poſſit. Faxit igitur deus

opt.max.tam lætis ac concordibus a-nimis illi fores aperiatis, illámque excipiatis, vt à vobis nõ prius diſcedere velit q̃ ea de negotio tanti momenti ac ponderis ſtatueritis quæ non modò veſtram Germaniã ſed vniuerſam etiam rempubl. Chriſtianam, ſæuiſſimarum tempeſtatum fluctibus ereptam, in optatiſſimũ illum quietis & tranquillitatis priſtinæ portum reſtituant. Ad quem quum itineris duces vobis eſſe Concordiam ac ſororem eius Vnanimitatem, neceſſe ſit, de iis tamen aduocandis taceo: quandoquidem vos eas iã vobiſcũ adduxiſſe, conuentui veſtro præſides futuras, exiſtimò. Quòd ſi nihilominꝰ, anteq̃ vobis illam quam dixi operam Concordia & Vnanimitas præſtent, eas veſtrã militiam interuiſere (ſed ita vt vicarias ſuas vobis relinquant) & ſacramentũ ab ea exigere vultis, non dubito quin vel ipſa, ſi conſulatur, Prudentia, conſultum hoc fore ſit iudicatura.

AD ME autẽ quod attinet, quamuis orationẽ meam ſuo titulo reſpon-

dere,& multas validáſque ſuæ exhortationis cauſas afferre voluerim: tamen,(vt ingenuè fatear)non tam munus vos hortādi incumbere mihi ſciebam, q̃ vobis gratulandi, & quodammodo applaudendi, ac tantumnon Euge acclamādi: quum nequaquam dubitem quin hoc preſertim nomine tam frequentes conueneritis:& quin nihil prius atque ātiquius habeatis q̃ de hoc ipſo bello rectè adminiſtrādo deliberare ac conſultare. Vnde etiam factū eſt vt orationem meam non de expeditione in Turcas ſuſcipienda, ſed fortiter & conſtanter perſequenda,inſcripſerim. Nouum autē non eſſe vt ij etiam quorum alioqui ad faciendum quidpiam propenſa iam eſt voluntas, à quopiam tamen animentur, oſtendunt illa poetæ poetarū ingenioſiſſimi verba, *Qui monet vt facias quod iam facis*.Noſtis,vt opinor,cętera.

Vt omittam,cum qui hos illuſtriſſimos atque ampliſs. ſacri Rom. imperij ordines ad aliquid hortatur,in tam celebri præſertim conuentu(non mi-

nus certè inter Chriſtianos celebri q̃ inter Græcos ille ad Olympia cõuentus erat) vnà etiam vniuerſum propè Chriſtianũ orbem, vtpote ea quę propoſita illis fuerint audiẽdi cupidum, hortari. Cæterùm, quum minimè dubitem, nõ defuturos fuiſſe, quibus hoc argumentum tractantibus plura venire in mentem potuiſſent: de hoc dubito, an magis ad rem pertinentia tam breue temporis ſpatium ſuppeditare illis potuiſſet. Atque, vtut ſit, ſaltem ſtudioſius & magis ex animo, ſincerius ac fidelius, hoc quidquid eſt officij à nemine præſtari Germaniæ potuiſſe, fieri poteſt vt falsò mihi perſuadeam, ſed perſuadeo tamen.

Quemadmodum autem illis tot quas attuli rationibus adductus ſpem concẽpi, illam orationis meæ petitionem de bello in Turcas fortiter & cõſtanter perſequendo, minimè repulſam à vobis eſſe paſſuram: ita me magna ſpes tenet, fore vt veſtra de belli ſucceſſu vota, ſi in eo gerendo & adminiſtrando vos quemadmodum di-

ctum eſt geratis, minimè repulſam à deo opt. max. patiantur. Addam & hanc conditionẽ, ſi ſemper illius verſus, à me, parua mutatione, ex profano ſacri & ex falſo facti veri, recordemini, nec de illius veritate vllo modo ambigatis, NIL DESPERANDVM CHRISTO DVCE ET AVSPICE CHRISTO.

AVdieras, & fama fuit. Non addam *ſed.* vera enim fuit fama illa. &, ſi nunc quoque eſt, vera eſt. Nam aliis ſubinde atque aliis (Francfordij præſertim) me non Latinitate Lipſij, ſed de Latinitate Lipſij obtundentibus, quo me alio modo reſpondendi onere tam moleſto liberarem? Hîc tamen mihi (id eſt, huic meo incepto) non acclamabis, ſat ſcio: quin potius exclamabis, non, O Geta, Geta, ſed, O Stephane, Stephane, prouinciam cepiſti duram. At neſcis q̃ dura fuerit altera illa prouincia: ſi noris, me verſuram facere (vt & ipſe tui comici verbis vtar) haud dicas. Neque enim coram tantùm, ſed à multo pluribus per literas illa de Latinitate Lipſij quæſtio mihi ꝓponebatur: ac, ſi crambe (nunc enim vulgus ſequor) repetita, mors eſt, nónne illa peior repetitione crambes repetitio aliquid morte peius erat? Quid facerem? aut reſpondere, aut, non reſpondendo, in ignorantiæ vel ſuperbiæ ſuſpicionem (à qua abhorreo, vel potius quam horreo) oportebat incidere. Nam quod volui mediam quandam inter reſponſionem & ſilentium viam apud quoſdam tenere, non ſucceſſit. Interdum è Lipſiomimois quiſpiam, vnà cũ aduerſario, (id eſt, vno è Lipſiomomois) ſponſione facta, accedebat, & me quæſtione illa aggrediebatur, Quid tibi de Latinitate domini Lipſij videtur? Tunc vterque, non quibus auribus ſed quo vultu hanc interrogatio-

nem exciperem, contemplari. Ego occupationes cauſari, ob quas cuperē reſpōſum comperendinari. Illi ſtricto iure mecum agere, & ne horulā quidē tempori præſtituto admetiri. Ego verò circūſpicere num quid, quo me ſeruaret Horatianus ille Apollo, ſuperueniret. Tandem reſponſo meo tam multa præfari, vt vel aliquid ſuperueniēs ſermonem abrumperet, vel illa parergos præfatio ipſi ergo minimum temporis relinqueret. Veniebant alij idem propoſituri? alia mihi via effugium quærebam, aut breuiter & propemodū ænigmaticè reſpondebam. Quoſdam abigere illo Virgiliano carmine conabar,

Non noſtrum inter vos tantas componere lites.

Sed de illis dici poterat, ex eodē poeta, *nil carmina* (nunc enim generalem huius vocabuli vſum retineo) *curant*. Ad quendam autem qui duas magnas paginas quæſtione illa plenas miſerat, reſponſum remiſi, grandibus quidem literis & magna in charta ſcriptum, ſed quod tamen breuiſſimū erat: quum hoſce duos verſus tantummodo haberet,

Qua tibi me de re vis eſſe Palæmona N.
Hac eadē de re (mihi crede) Palæmona quæro.

Non credas denique quantum negotij mihi & Lipſiomimoi & Lipſiomomoi (vt taceam de illis qui neutri erant) faceſſerent. At nunc omnes ad publicū illud meū reſponſum (in quo nec Lipſiomomus nec Lipſiocolax futurus ſum) iam remitto. Sic autē multo ante q̄ meū

De bene inſtituendis Græcæ linguæ ſtudiis librum in lucem darem, futuram eius editionem excuſatricem præſentem habebam.

Vt porro ad Lipſium reuertar, ſi non peregrinantur aures tuæ, ſed in peruagato reipubl. literariæ ſermone ipſę quoque verſantur, non ſolùm quoſdam Lipſiomomous quoq; reperiri ſciunt, ſed eò ventum eſſe vt tres ſeculi noſtri Ciceromaſtiges numerētur, & tertius hoc in numero Lipſius ponatur. Ego ad hanc ſiue iniuriam ſiue contumeliam, quæ Lipſio fieret, (& quidem literis typographicis conſignata eſſet) ſiue potius ad vtrunque, ita ſum ſtomachatus vt (quod Lipſius haud ſibi perſuadeat) vix intra triduum deſtomachari potuerim.

Quid quòd mihi etiam timere ab eadem ſiue iniuria ſiue contumelia, ſiue ab vtroq;, cœpi? At nullius tamen in Ciceronem odij ac ne maleuolentiæ quidem tibi es conſcius: dices. Dicam: ſed quid ſi ex illis duobus meis dialogis, Pſeudocicerone & Nizoliodidaſcalo, velint aliquam huiuſmodi phantaſiam cōcipere?

VT AVTEM tuam epiſtolā perſequar, ſcribis te audiuiſſe etiam de quodā meo opuſculo cui titulus ſit, *De Philippo Macedonum rege in Græciā variis artibus olim graſſato, & de Turcogræciæ rege in Germaniæ vicina loca graſſante, ac in ipſam graſſari conante*. Reſpōdeo itidem, *AVdieras, & fama fuit.* ac vera quidem illa. Nam huic quoque ſcriptioni aliquid temporis impendi. Et verò ſpero fore vt illa in lucem

veniente,ſimul in clariorem lucem veniant illius Philippi artes ex Grȩcis hiſtoricis,necnon è Demoſthene (quorum locos inter ſe comparatos expono) non vt eas diſcant principes à quorum tyrannico ingenio periculum vicinis impendere poteſt: verùm vt ab iis diſcãtur qui ſuæ ditioni ab illis cauere volunt.

MIHI vlterius in epiſtolȩ tuȩ lectione pergenti narras etiam,ad aures tuas veniſſe quendam meum commentarium *De republ. Germaniæ.* Reſpondebo itidem, *Audieras, & fama fuit.* Sed cur famam itidem fuiſſe dico? Immo pluſquam famam fuiſſe de eo dicendum eſt, quum ad typographicum vſque prelum venerit. Verùm id operam ſuam,duobus primis foliis haud denegatam, cæteris denegauit, quòd typographus, qui ad nundinas Francfordienſes properabat,illis ſe retardatum iri videbat.

SED ENIM multo magis miraberis quendam librum meum,qui poſt illos in mentem ſimúlque in ſcriptionem, ac eodem fere tempore in typographicũ prelum venit. Is in duas orationes diuiſus eſt: quarũ prioris titulus eſt, *ORATIO H. Stephani ad auguſtiß. cæſarẽ, Rodolphum II, & ad vniuerſos ſacri Rom. imperij ampliſſimos ordines, Ratisbonæ conuentum habentes,* ADVERSVS *lucubrationem Vberti Folietæ de magnitudine & perpetua in bellis felicitate imperij Turcici.* Altera autem ad eoſdem ſcripta, ita eſt inſcripta, *EXHORTATIO ad expeditionem in Turcas fortiter & conſtanter*

perſequendam. Quid (dices) tu Pariſienſis an tuis etiam Pariſiis à Turcis times? Vt quidem nunc ſunt res, ſicut periculũ à mea patria procul abeſſe videtur, ita & metus ille procul abeſt: verùm, vt ille apud comicum dicit, *Homo ſum, humani à me nil alienum puto*; ita ego reſpondeo, Chriſtianus ſum, Chriſtianicum nihil à me alienum puto. Vt taceam, regionem mihi patriam præ quauis alia ſemper aduerſus imperium Turcicum non oculos tantùm, ſed arma attollere ſolitã eſſe. Verùm quicunq; tandem & qualiſcunque ſum, hoc certè lecto libri Folietæ titulo, *De cauſis magnitudinis imperij Turcici, & virtutis ac felicitatis Turcarum in bellis perpetuæ, Vberti Folietæ lucubratio*, continere me nõ potui: verùm, quemadmodum apud eundem poetam vnde illud hemiſtichiũ ter deprompſi, dicit paſtor quidam,

Vt vidi, vt perij, vt me malus abſtulit error:

ita dicere poſſum,

Vt vidi, vt legi, ſcribendi me abſtulit ardor.

Titulus vt imperio Turcico honorificentior, ita cæteris imperiis inuidioſior, ab vllo quantumvis Turcocolace vix excogitari, meo quidem iudicio, poterat. Perinde enim mihi eſſe videbatur ac ſi non tantùm Magnus dominus vocaretur (vt Italica appellatio & noſtra, eadẽ voce vtens, ſonat) ſed illis Græcis quatuor verbis honoraretur, quæ quidam indicari putant quatuor notulis monetę impreſſis, Βασιλεὺς Βασιλέων Βασιλεύων Βασιλεῖων. Id eſt, Rex Regum Re-

gnans Regibus. ſiue Regnator Regum. Hunc autem titulum, quamuis deo ſoli debitum, cre dibilem reddunt alij, quorum in mea illa oratione mentionem facio. Nec verò dubium eſt quin multi Chriſtiani lectione illius libelli deterreri valde poſſint. Quod ſi iam nõnullis acciderit, eadem illa oratio qua ipſi reſpondeo, erit ſimilis acclamanti,

Chriſticolæ, quæ tanta animis ignauia venit? licebit enim, vt opinor, mihi per eundem poetam vocem eius *Tyrrheni* mutare in illam *Chriſticolæ.* Tacere igitur de illo libello haud potui, obnunciatorem quendam eſſe: nec defuturos qui inauſpicatè & malo omine his primùm nundinis in Germaniam, & quidem in has etiã nũdinas Francfordiẽſes, prodiiſſe dicturi ſint. Sed fore ſpero vt mei reſponſi lectio ei de quo cõqueſtus ſum malo medeatur. Diſſimulare autem apud te nolo, me exhortationem illã ſcripſiſſe, cum aliorum tum vel maximè Hungarorum ſortem miſerantem. Ac me ab eo potiſſimum tempore miſerari eam cœpiſſe quò, quum Vienna in eorum regionem profectus eſſem, &, quo magis mihi placebat, tanto vlterius progredi in eam cuperem, tamen confectis paucis milliaribus, mihi meóq; ſodali denuntiabatur, nos iam fines, intra quos nullum à Turcarum cimeterris periculũ immineret, exceſſiſſe.

Quid? me audere Turcica Latinis miſcere miraris? Atqui cur gladium Turcicũ ſuo ver-

naculo nomine Cimeterram (vel quocunque alio ſono melius efferri poteſt) inter Latinè loquendum, nominare minus audebo, quàm Latini ad ſignificandũ gladium Perſicum ipſa Perſica Acinacis appellatione vti audẽt, & Gręci ante ipſos auſi ſunt? Vt tamen verum fatear, multo magis ea meo palato Turcica vocabula ſapiunt quæ è Græco ſermone veteri mutuati ſunt: ſiue Turcis peculiaria hæc ſint, ſiue cum Græcis noſtri ſeculi communia. Ex horum numero eſt *Burgos*, de turri, factum ex πύργος. (verùm & *Bergas* maiori cum immutatione ab iiſdem dicitur.) Poſſumus in hoc albo ponere & *Kyris* (pro quo & *Cyris* ſcribitur) de domino: ex veteri voce Græca κύριος. At verò κῦρος pro illo κύριος non tantùm dicitur à Græcis noſtri ſeculi, verùm & à maioribus eorum dictum fuit. Alioqui dominus ab iiſdem Turcis dicitur & *Aphendi*, ex recentiorum Græcorum vocabulo ἀφέντης: quod è veteri αὐθέντης detortum eſt. Quinetiam quum auditur *Coion-hiſar*, quod exponitur *Ouiũ arx*, quis eſt qui in *Coion* Gręcum οἰῶν agnoſci non dicat? Sed & *Aga* nihil obſtat fortaſſe quominus ex ἀγὸς factum dicamus. Iam verò & Turcogræca ſunt nonnulla, quæ tanquam compoſita efferenda exiſtimantur: vt *Cozza-deſpot*, de annoſo domino. Sic *Acce-liman*, Albus portus. Itidẽ verò *Cozza-aphendi*, de ſene domino, Turcogræcũ vocari poteſt. In nonnullis non omnino ſignificationem Græci verbi retinent, ſed valde vici-

nam ſaltem ei tribuũt: vt quum leges ab iis *Kanones* vocãtur, quum canones veteribus Græcis propriè ſint regulæ.

Alias ex aliis linguis, & nominatim ex Arabica, Perſica, Latina, Italica, ſumptas voces prętereo: & ad vocabula duo venio, quorum vnũ Turcæ, alterum Græci recentiores cum Gallis commune habent. Nam *Tocca* & *Toc*, eſt lineum capitis tegumentũ Turcicum: itidémque in Gallia, ante nõ multos annos, priuſquã caput illis quæ capella vocamus, tegerentur, quoddam pilei genus *Toke* appellabatur. Alterum vocabulum eſt *Baiulus*. Loquor enim de voce *Baiulus* quę cum Latina nihil commune habet, ſed cui contra cum Gallica *Bailli*, ſiue *Baillif* (quem vulgo *Baillium* dicunt, veſte Latinæ formæ verbum Gallicum amiciẽtes) magna eſt communio. Eſt autẽ illud *Bailli* à quodam veteris linguæ Gallicæ vocabulo, apud noſtros Romanzos frequẽti, *Baillie*. Nam *Ie ſuis en ſa baillie*, ſonat, Ego ſum in illius poteſtate. Sic verò placuit Italis iſtud verbum, vt vnum fuerit ex iis quæ è noſtro ſermone mutuati ſunt: & quidem ipſo Petrarcha cæteris exemplo ſuo præeunte. Quinetiam ipſi Florentini olim ſuam popularem iuriſdictionem Balliam vocitabant. Hæc (ſcio) facient vt iam in Baiulorum appellatione nec hæreas, vt antea, nec alios tam multos hærere ſinas: & vt maior apud te quàm antea, Gallicæ linguæ ſit autoritas. Vale. Francfordij, Anno 1594. Paulo poſt nundinas vernales.

VA 1
1519464

177
B
2

116
B.
98.

134
21